

XL

Contra Libellum Calvini in quo ostendere conatur Hæreticos jure gladij coercendos esse.

Nolite ante tempus quicquam judicare, donec veniat dominus, qui illustraturus est occulta tenebrarum, et patefaciet concilia cordium.
1. Cor. 4.




Prov. 14.

Impiorum Verba Insidiantur sanguini, at proborum os eum defendit.

Psalm 2.

Et nunc Reges prudenter agite: Erudimini Iudices Terræ.

Anno Domini M. D. L C. XII.



Benevole Lector.

Novis morbis nova adhibenda ſunt remedia: Quoties vero antiquo morbo quempiam correptũ videmus, antiqua etiam & tali morbo adhiberi ſolita, adhibemus remedia. AEgritudo ſeu potius Lethalis ille morbus, Tyrannis ſcilicet in conſcientias aliorũ, antiquꝰ erat, et iam per multos annos in animis multorũ regnum poſſederat, atque innumeros cum in his, tum in alijs regionibus truculenter necaverat. Huic malo Reformationem Eccleſię in Europę tractu poſſe ſuccurrere ſpes erat, & aliquo certe modo ſuccurrit, hoc enim conſcientię jugo preſſi, ſpirituali gladio ſeſe huic tyrannidi fortiter oppoſuere, atque Magiſtratus ſuos ſacris concionibus, ſalutaribuſque admonitionibus a tali perſecutione ita abſterruerunt & abſtraxerunt ut lethalis hic morbus multis locis exulare, atque alias ſedes quęrere cogeretur. Sed ŏ hominum inconſtantiam, qui enim pręter cęteros hunc morbum depręcabantur, cum eo pręmerentur, jam ab eo, gratia Dei liberati, quod ſpiritu optime cęperant, carne cõſũmmare conati ſunt, & intolerabile hoc

 con-

conscientię jugum, quod suo collo; Auxilio Dei fortiter excusserunt, alieno rursus inijcere strenue studuerunt, non minori cum crudelitate, quam cum illis antea actum fuerat. Exemplo est celeberrimus ille Genevensis Ecclesiæ D. *Iohan*, *Calvinus* in sua illa adversus *Michael. Servetum* persecutione, quem suæ fidei aut *potius* infidelitatis ergo retinuit, cui dicam scripsit, & vivum deinde cremavit. Infidelitatem *Serveti* blasphemiam appellat, quod infidelitate longe quid majus est; Non hic inficias eo, infidelitatem grave peccatum esse, blasphemiam etiam gravius, neque etiam *Serveti* erroribus patronum aut defensorem me offero, qui alte eos sub terra deprimi, ne pestilentiales quosdam halitus emittant, satius esse credo. Hoc tantũ dico; *Serveti* factum aut respicere fidem, aut potius infidelitatẽ, atque fuisse de sacræ scripturę sensu: Blasphemus erat in Deum (si vera quæ *Calvinus* scribit, ipsius enim *Serveti* libri non extant, neque etiam eos usque adeo desiderem) cum tamen crederet se Deum extollere, magnus certe & damno publico conjunctus error, & tamen error hic ex ignorantia; alioqui quę insania quis furor, tam horribili mortis generi opi-

nionis

nionis cuiusdam ergo (quam tamen rectius edoctus repudiare & ejurare potuisset) se objicere? Vitam itaque pro falsa quadam veritatis persuasione effundere, quam cum aliquo conscientiæ suę (quamvis male doctæ) verme vivere maluit. Morte ergo sua Deum se glorificare sibi persuasit. At persuasio ista (dices) falsa: Esto. *Serveto* tamen falsa non fuit, alioqui certe mortem refugisset. Rebellionis factionis, aut criminis læsæ Majestatis, saltem Gænevensis, argui aut convinci non potest: solius igitur conceptæ opinionis ergo. At dicis, pravæ, impiæ blasphemiæ. Sit ita, sed tamen, quam ille non impiam, & ad Dei honorem facere credidit, & sacra Scriptura cõfirmare conatus est: Immo pro qua vitam sibi relinquendã, atque ita horrendam mortem gustandam putavit, quo sic gloriæ Dei serviret, cui & adversarij illius cremando ipsum se servire putabant.

Quæritur an hęc non sit intolerabilis quædam & illicita conscientię Tyrannis & inaudita quædam ac plus quam beluina crudelitas: Ego certe ita esse pronuncio. *Calvinus* hoc suum factum publicis tijpis extenuare & defendere conatus est. Idem etiam *Beza* latius, solidissimis vero & ex verbo Dei deprompt-

tis

Declaratio Calvini contra Servet. Anno 1553.

* *An D. Calvino, proprij commodi atque honoris.*

causa aliquid affirmanti fides adhibenda? D. Sibrandus, fol. 111 & 27 & passim

tis argumentis utriusque liber cũ omnib⁹ fi-argumentis a multis refutatus est. Preter cęteros autem hic fortissimum libertatis conscientiæ propugnatorem & vindicem sese præbuit erudita pietate & pia eruditione excellens. *S. Castellio*, cuius labores et vigilias circa hoc argumentũ adversus Calvinũ tibi exhibemus, quo rectius deinde de hoc negotio judices. Roget quis, ad quid quatriduani hui⁹ et jam grave olentis Lazari resuscitatio, hoc est errorum veterũ renovatio? Verum sic habeat. Si ullam in cælo positus clarissimus ille Sol regionem aspicit, quæ capitaliter illã de occidendis hæreticis hęresim (hoc enim proprium Tijrannidis in Conscientas nomen) odit, detestata est, et expulit, certe illa hæc nostra est regio, nostræ hæ arctissimo foederis vinculo conjunctę Provinciæ. Multa homines passi sunt, multum sanguinis effusũ, multa æraria exhausta ad teterrimã hanc et sanguinariã beluam abigendam: omnia hæc nostra vidit et experta est regio. Paucis ab hinc annis nulli hæc Tyrannis adhuc innotuerat, pauci enim plus ęquo fervidi Theologi, qui Monstrum hoc adhuc in sinu fovebant, quantum poterant tegebant,

Sed

Sed ecce veterator ille Sathan sub blando & specioso quodam glorię Dei & Zeli Ecclesiæ prætex, tu sub dole & quasi per cuniculos quosdam irrepens, thronũ Dei affectat, ut sic hominum conscientijs & fidei rursus dominetur, atque præsit. Vetus enim ille T. Bezæ Tractatus de occidendis Hęreticis Gallice & Latine ante multos annos conscript⁹ & edit⁹, a quibusdã verbi in Frisia Ministris cum præfatione quadam nimis aculeata & sanguinem redolente, ex latio in Belgiũ translat⁹, & tijpis mandatus ac divulgat⁹ est, quem etiamnum hodie quidam extra omnem repræhensionis, & calumniæ aleam positum autumant (nemo enim ex reformatæ religionis Ministris hactenus inventus, qui huic doctrinę (si dijs placet) sese opponeret) atque hinc est quod, semel a nostro depuls⁹ corpore languor, paulatim rursus illud occupet, & magis magisque inficiat. Multos etiã non puduit, erroris & fervoris sui filo ducti, in alio quodã Tractatu exẽpla, *Serveti*, Neuseri, Gentilis & aliorum, ad probandum illud quod volunt, adferre, & in quẽ finem hæc omnia, tute Lector benevole apud te expende: nil mihi cum *Serveto*, Neusero, Gentile aut alijs illius farinæ ho-

In præfatione Libelli cui Titulus. **Naerder waerschouwinge.** *Contra Vorstium*

minibus commune eſſe, novit ille, qui om-
nia, neque etiã patron⁹ illis eſſe velim: unũ hoc
me torquet & animum meum augit, eos qui
pro hæreticis habentur ita crudeliter occidi,
& pro virili mea hanc ſanguinariam labem
ab hoc, nobiliſſimo noſtrarum fœderatarũ
regionum corpore, & à bene compoſitis &
tranquillis noſtris Eccleſijs arcere ſtudeo,
atque hunc Tractatum in præſentia, daturi
(forté in poſterũ etiam alium) tanquam vetus
quoddã & præſens antidotum adverſ⁹ hanc
denuo renaſcentaẽ & indies gliſcentem peſti
lentialẽ luem, dono. Lege Lector, & æqua ju
icij lance trutina, ſenties certé adulterinã eſſe
hanc doctrinam, & animæ pariter ac corpo-
ri, & regioni eſſe exitialem: contra vero plu-
rimum facere ad propagandam veram doc-
trinam ad animarum ſalutem & corporum
ſecuritatem atque ad beatam & ſummam
Provinciarum noſtrarum tranquillitatem
& pacem, ſi quis ei ſe fortiter opponat.

1.Teſſ.2. Tunc alia ratione filium perditionis con-
8. ficere ſtudes quam ſpiritu oris Dei? Veri-
2.Cor.10 tas ſuis armis vincit, quæ ſpiritualia ſunt, &
4.5.6. divinitus valida ad ſubverſionem munitio-
Tit.1-9. nũ: ratiocinationes evertendo, omnemque
Hebr. 9. ſublimitatem que ſeſe extollit adverſus cog-
12.

ni.

nitionem Dei,& in captivitatem redigendo omnem cogitationem ad obediendū Chriſto, ut Apoſtolus inquit. Doctores qui hanc deſerūt, quaſi ad convincendos *hoſtes* per ſe non ſatis ſufficiens & valida ſit, errant,& in ipſam veritatem graviter peccant, cui non ſatis confidunt, quia vim eius ignorant:& in ipſam Charitatem, quam erga proximū non ſatis exercent. Corpus quidem occidunt, animam vero occidendo non ſervant, imo potius eam perdunt,qui infidelem quempiam e medio tollunt. Hypocritas quidem efficiunt multos,Chriſtianos vero nullos.Et quid ſi (ut fere fieri ſolet) ovem pro lupo, orthodoxum pro hæretico,fidelem Dei ſervū & teſtem pro Blaſphemo occidant? Eſtne quod hos noſtros rigidiores Theologos, ne hoc fiat,ſecuros & certiores reddat? Vbi quæſo huius facti diplomata? Num ſacra ſcriptura? Nuſquam certe hoc privilegium ipſis conceſſum invenies.Sacra enim Spriptura ad veritatem amplectendā blande homines invitat,non vi aut morte adigit, atque hanc hæreſios extirpationem & hæreticorum occiſionem expreſſe prohibet: quod non modo in hoc Tractatu,ſed et in libello contra *Beſam* aperte & dilucide oſtenditur.

Mat. 13.

in præfr.

Naerder waerſchouinghe.

Eſto

In præfa: Libelli „Baer„der „waer„schouwinge.

Esto ergo Ecclesiæ utrinque judicium idque Christiane & candide ex Dei verbo vt decet. Quid si autem Synod⁹, quid si ipsa Ecclesia, penes quam omne volunt esse judicium, hoc negligat monitoribus suis sese fortiter opponat, *alteram partem audire* atque emendationem admittere nolit? Quod contra D.D. Ordinum decretum & beneplacitum, videre licuit in recusatione *Revisionis* (ut vocant) humanæ Confessionis & Catechesios, cui etiam non nullos è contrario subscribere coegerunt. Quid si etiam ipsa graviter erret? Cujus nimis multa, pró dolor, adferri possunt exempla, ac inter alia Ecclesiæ Iudaicæ quæ per errorem Prophetas & Apostolos trucidavit, & ipsum Christum, immaculatum illum, & innoxium agnum, tanquam, *Blasphemum* (quod & hodie magna cum temeritate & impudētia multis Pijs obijcitur) damnavit, & inter maleficos crucifixit. Eti m ipsa Ecclesia Romana an non hanc sangninariam viam ingressa? At nostra, inquies Ecclesia reformata: Vtinam Deus hanc Reformationem no bis largiatur & diuturnam esse velit Verum quemadmodum illas, quas dixi ecclesias una cum Helvetica & Genevensi errasse con-

stat

ſtat, ita & noſtra (vt quæ ex hominibus non unde quaque perfectis, & errare valentibus non autem ex omniſcijs quibuſdam Dijs, conſtat, & ab optimis non ſemper paſcitur & regitur. *Paſtores enim in Lupos ſæpe mutantur, & Lupi Paſtoribus ſæpe ſuccedunt,* (teſtante Calvino & Beſa) in his articulis de hæreicis occidendis, & conſcientiæ freno inijciendo, errare graviter poteſt: Quid tum in his omnibus Eccleſiarum erroribus futurum? Quis nobis, tanquam incorruptus aliquis, & é cœlo demiſſus Iudex, in tanta opinionum diſcrepantia, de doctrina aliqua, *utrum Hæretica ſit nec ne?* quis de ipſis hæreticis quinam ſint, judicabit? Num Magiſtratus? minime: Beza enim hoc non fert. Scribit enim: *Hæ enim ſunt Eccleſiæ non Principum partes: eoque obſervare debent Principes ut intra poteſtatis ſuæ fines atque cancellos ſeſe contineant, ne ſcilicet audeant de Hæreſi iudicare.* Sed & hodie maxima pars, cum longo illo, gradibus & dignitatibus diſtincto, Pontificiorum ordine, nihil aliud quam Eccleſiam, Concilia & Synodos crepat. Verum hic mihi quæſo reſponde: ergone ejuſmodi Eccleſiæ & Synodi in tali rerum ſtatu, & tanta opinionum diverſitate,

Cal. epiſt. 190 Idem in ſcandalis fol. 143. Beza Com. de leſtat. fol. 279 b

In Tractatu de Hæreticis à Magiſtratu puniendis pag. 168. Edit: Gall. pag 422. Edit Belg pag. 343.

adversarij, actores, & Iudices in propria causa (quod in Romana ecclesia detestati sumus) futuri? Quis hæc æquo animo feret? Quid aliud hinc quæso exurget, quam bellũ quoddam Madianiticum? Aut novus quidam Papatus, novum conscientiæ jugum, veritatis frænum, Tyrannis quædam, & Prophetiæ (quæ libera esse debet) quædam extinctio? Maxime qnando sic Ecclesia à suis partibus Magistratum habet, *ut earum nutritij* Hi sint *& filium osculentur* hoc est interprete Beza Hæreticos occidant. Sed & hoc Iudæ aut Ioabi osculum futurum, & vt Naziansen⁹, *Pro Christo erunt contra Christum.*

Beza tract. folijs. 306. 307. Duyts 252. 253

In præfat. Concionatorum Sneká.

Audiunt homines quotidie, multi etiam magno cum dolore, fervidiores quosdam & biliosos Theologos Stentorea voce passim exclamare & invehi etiam in fratres & collegas suos, qui in aliquibus sacræ scripturæ locis explicandis, non per omnia cum ijs consentiunt, & hanc suam apud multos agere fabulam, ut pro *Atheis* & *Hæreticis* habeantur, eos nunc *Pelagio* nunc *Arrio*, *Samosateno*, *Socino* aũt *Serveto* (qui vivus combustus) comparantes. Quis autem harũ impotentiæ vocum, & temerariorum Iudiciorum, fructus futurus sit, facile omnes pij & prudentes intelligunt, maxime in his regionibus, in his Ecclesiarum nostra-

trarum dissidijs, quibus alius alium facile damnat, & ita coloribus suis apud omnes & presertim D.D. Ordines depingit, ut in odia & inimicitias eorum incurrat & inauditus poenis subijciatur.

Maxime itaque Tractatū hunc usui futurum speramus. Tum ut qui humanis ingenijs nimium confisi, & existimatione atque autoritate duorum doctorum (scilicet *Calvini & Bezæ*) seducti, in rectam viam reducantur. Tum etiam ut Ecclesię foedi errores qui in eam irrepserunt & adhuc irrepere possunt demonstrentur, & ab ea arceantur & ut zelus ille fervidus, quo Reges & principes ad persequendos & occidendos hæreticos excitātur, reprimatur. Denique ut D.D. Ordines alijque Magistratus foederatarum Provinciarum (pro quorum, sapienti regimine, & foelici ductu nunquam satis digne etiam in hoc negotio, Deo Opt. Max. gratię agi possunt) hac nuda veritatis demonstratione, à subtilibus istis libertatis fidei hostibus, Theologis, sibi magis magisque cavere discant, & nunquā suà illá sibi à Deo datâ dignitate, & *summa potestate* ex arbitrio & placito Ecclesiasticorū quorundam (quod in Antichristi regno plerumque fit) *abuti velint, atque ita cæci executores & Ministri crudelitatis alienæ fiant.* Hæc

Margin notes: 1 (at "Maxime itaque"); 2 (at "cantur. Tum etiam"); 3 (at "& ut zelus"); 4 (at "cos excitātur"); 5 (at "re discant"); ,, Cal. epist. 255. Beza. Tract. folio. 423.

Ioan. 8. 44. Hæc enim illorum insana crudelitas, Evangelicæ doctrinæ & Christianæ Charitati (cujus tamen se doctores & imitatores profitentur) tam affinis est, quam Christo Belial, qui jam inde a condito mundo homicida est.

Mirum certe est Theologos, tam Iesuitas quam alios, qui *Prædestinationem* usque adeo urgent, in occidendis hæretici multo alijs crudeliores esse, cum tamen hos magis illorum misereri decebat, quibus hæresim illam in fatis esse sciunt, nec si velint aliter posse sentire. Itaque Lector benevole Tyrannidem hanc arcere si nequis saltem suffragio tuo eam firmare & stabilire noli, atque sic animum tuum innoxio sanguine etiã aspergere: Deum potiꝰ precare ut hanc animabus, corporibus, & regnis exitialem doctrinam, sua potentia & sapientia premat & tollat, atque ijs, qui eam tantopere urgent sanıorem det mentem, & omnibus nostris Principibus & Magistratibus gratiam suam & sapientiam illam *Solomonis* largiatur, quo discinter falsam et veram matrem (quæ dilecti filij sui vitam a manu falsæ (quæ in necem illius jam consenserat) vindicavit) cum spiritu discretionis discernat. Vale Lector benevole, & eo quod damus utere ac fruere.

Præfatio

Optandum est ut bonorum Hominum magna sit authoritas, malorum autem nulla: Propterera quod authoritate multum ducuntur Homines, et plerumque de rebus incertis sola alicuius authoritate freti statuunt: Quo fit, ut si, qui authoritate pollet, vir bonus est, minus peccetur: sin malus est, graviter et sepe peccetur. Sed cum in hac perversa vita authoritas fere a multitudine pendeat, et multitudo ijs plurimum tribuere soleat, qui ipsius utilitati aut voluptati, aut honori inserviunt, et fama celebres sunt apud externos, quæ res ipsi multitudini sit ornamento: Ab ijs abhorreat, a quibus reprehenditur, aut qui ipsi non indulgent: plerumque fit ut assentatores et simulatores in prætio sint: Synceri autem et severi homines, et famæ contemptores contemnantur.

Rursumque quoniam nihil tam tectum est quod non aliquando detegatur, quoniam præsens assentationis dulcedo parit postea dolores amaros, Fit ut postquã in magna damna, assentationibus obcæcati, reciderint homines, agnoscant et detestentur assentatores, bonosque laudent et defendant: quorum concilium quia carni esset adversarium, prius repudiarunt. Hinc fere fit ut boni post mortem laudentur, mali vituperentur: quod in vita fere contra fit, ut boni vituperentur, mali laudentur. In culpa est hominum inscitia, qui malunt præsentis voluptatis brevitatem, quam futuræ perpetuitatem: Sicut puer mavult in præsentia unum

pyrum,quam in futurum hæreditatem. Quod si homines essent viri, contra facerent, et ita maxima mala evitarent. Exempla occurrũt quamplurima. Noe suo tempore caruit authoritate, quam si habuisset, non ita misere Diluvio extinctum fuisset illud seculũ. Idem accidit Lotho, quem aspernati perierunt Sodomitæ. Idem Prophetis, et Iohanni Babtistæ, & Christo, & Apostolis; quibus contemptis Iudæi in Longissimas & gravissimas calamitates sese conjecerunt: secuti videlicet blanda & assentatoria, eademque cruenta Scribarum & Pharisæorum consilia. Iam vero docuit Christus futurum, ut in adventu suo sit is status, qui fuit temporibus Noe & Lothi: hoc est, ut sit summa securitas, & eorum cõtemptus qui a peccando avocabunt. Quod si instat adventus domini maxime nobis suspecti esse debent, qui sunt in eo gradu in quo Scribæ & Pharisæi, ne suis blandis consilijs præcipitent nos in damna sempiterna: maximeque eos debem⁹ facere aut etiam quærere, qui sunt Noe aut Lothi similes, hoc est qui nos a peccatis avocant, etiamsi eorum consilia in præsentia sint amara. Omnino accidet nostris temporib⁹, quod accidit tum: Contemnẽtur & vexabuntur, qui hominum saluti studebunt: Contra in pretio habebuntur falsi Prophetæ, quoniã carni blandientur. Si quis habet aures, hęc audiat & eruminet. Parvus est numerus eorum, qui sapere volunt: ijs nos laboremus. Qui sanum consilium contemserint, idem postea frustra requirent. Beati qui nec ipsi sibi assentantur, nec aliorum assentationes admittunt.

Quorsum hæc a me dicta sint, jam referam. Est hodie Iohannes Calvinus summa authoritate,

tate, quam equidem ei optarem maiorem, si mitis ingenij hominem & misericordem viderem. Sed quia proximo facto palam ostendit, se sitire multorum sanguinem, scriptoque suo multis pijs periculum creaverit, ego qui & natura & disciplina a sanguine totus abhorreo (sicut omnes abhorrere debent) palam orbi (si Deus volet) ostendam eius conatus, ut qui perire nolint, desinant ab eo decipi, & in viam revocentur. Combustus est Genevæ, ob opiniones de religione, superiore anno, qui fuit 1553 die 26. Octobris, Michael Servetus Hispanus, impulsore & authore Calvino, eius Eccelesiæ Pastore. Divulgato Serveti supplicio multi offensi sunt, prę sertim Itali & Galli: Primo quod occisus esset homo propter opiniones de religione, Deinde quod ita crudeliter occisus esset: 3. quod authore Pastore: 4. quod conspirasset in eo occidendo Calvinus, cum inimicis suis: nam et hoc ferebatur: quinto quod combusti essent eius libri Francfordiæ. Sexto quod post mortem damnatus esset a concionatoribus ad Gehennam. Hæc audiens Calvinus publicavit Librum contra Servetum, ut se purgaret et illum refelleret, atque insuper ferro coërceri debere ostenderet. In eo libro quid conetur efficere Calvinus pauci vident. Est enim falsa specie pietatis ita fucatus & coloratus, ut deprehendere non sit facile, præsertim ijs qui Calvino sunt addicti. Hunc ergo Librũ nunc examinandum suscepi, et explicandum, ut aliquos, si fieri potest ab errore revocem. At nemo mihi hoc Loco tumultuetur, ponderet rationes Lector, & avocato a personarũ dig-

Michael Servetus Hispanus alias de Renes ab Arragonia.

Catalogus qui de librorum a Serveto editorum recensetur in bibliotheca Gesneri, qui dicit illum scripsisse de Trinitatis erroribus lib. 7.

a° 1531. Excusos in 8. Dialogum de Trinitate Libri 2. de Justitia regni Christi, capitula 4. Anno 1532. Item librum inscriptum Christianismi restitutio, in quo hac continentur 1°. de Trinitate divina, quod in ea non sit invisibilium trium rerum illusio, sed vera substantia Dei manifesta-

nitate animo, in veritatẽ (quæ alioqui perſpici non poteſt) totus ſit intentus. Efficiam volente Deo, ut conatus huius hominis deinceps ijs pateant qui ſe cœcos eſſe nolint. Dicet fortè Calvin⁹, ſuo more, me eſſe Serveti Diſcipulum: Sed id neminem terreat, Serveti ego Doctrinã non defendo, ſed Calvini falſam doctrinam oſtendo. Itaque de Trinitate, de Babtiſmo, & cœteris arduis queſtionibus non diſputabo, cum Serveti Libros, quippe combuſtos diligentia Calvini, non habeam, ut poſſim ex ijs videre quid ſenſerit, Sed in cœteris quæ ſunt extra illam Servetanam diſceptationem, Calvini errores ſic demonſtrabo, ut quivis perſpicere poſſit, eum per ſitim ſanguinis palpare in ipſa meridie. Agam autem cum eo, non quomodo egit ipſe cum Serveto, puem poſtquam una cum libris combuſſit, mortuum Lacerat, et eius errores citatis etiam (ſi ſuperis placet) libri, quem combuſſit, paginis, multiſque locis, refellit: perinde ac ſi quis Domum combuſſerit: Deinde nos ex ea Domo aliqua vaſa petere jubeat, & cubicula aut capſas indicet. Nos vero Calvini libros non comburemus:. Vivunt & author & Liber, & equidem latine et gallice ab eo editus, ne quis cauſari poſſit aliquid a nobis depravari. Ponam autem ipſius verba, & eos Locos, de quibus diſſerere volam, ſignabo numeris, ſicubi opus erit: deinde numeros illis reſpondentes ponam ante mea verba, ut ita breviter perſpici res poſſit, Ac primum titulum ponam, qui ſic habet.

Calvinus 1.

Defenſio orthodoxæ fidei de ſacra Trinitate, contra prodigioſos errores Michaelis Serveti

Hiſpani,

Hispani, ubi ostenditur Hæreticos jure gladij coærcendos esse, & nominatim de homine tam impio juste & merito sumptum Genevæ fuisse supplicium.

Vaticanus.

Hæreticos ab errore denominat, quasi sic dicat: Scribam contra errores Serveti, ut ostendam errantes hoc est, hęreticos jure gladij coërcendos esse, sicut errans Servetus gladio coërcit⁹ est. Hanc esse mentem Calvini postea apparebit, ut velit eos qui graviter errant interfici nisi velint in Calvini Sententiam descendere. Atque hoc agit tota hac de hæreticis disputatione (quemadmodum ostendemus) ut quoscunque Calvinus cum suis hæreticos judicat, ij Serveto comites mittantur: Quod si fiat, comburendi erunt omnes Christiani nominis homines, exceptis Calvinianis, hoc est, Calvini institutum ratum habentibus, quod deinde sic aggreditur.

Calvinus 2.

Quamquam inter alia errorum portenta, quibus Satā renascentis Evangelij Lucem hac ętate obruere conat⁹ est, apprime detestabilis est (1) impietatum congeries, quam Michael Servetus Libris editis evomuit. Ante hac tamen hominem non putavi ex professo refutandum, quia tanta suberat eius (2) delirijs absurditas, ut nullo contra repugnante (3) ultro in fumum abitura sperarem.

Vaticanus.

1. Impietates vocat, quas in titulo errores appellavit, et hic deliria, quę convenire non possunt. Nam error impietas proprie dici non potest, nisi velis impium, appellare Paulum, dum persequitur Ecclesiam, aut Thomam, dum non credit

tio in verbo, & communicatio in spiritu. Lib. 7. De fide & justitia regis Christi legis justitiam superantis, & de charitate Lib. 3. de regeneratione ac manducatione suprema, et de regno Antichristi. Lib. 4. Epistola 30. ad Ioannem Calvinũ Signa 60, regni Antichristi, & revelationem

eius tam nunc presentis. credit resurrexisse Christum, qui errores erant certe gravissimi, Sacræ literæ impios vocant eos, qui scientes & impio animo, non infirmitate victi, aut ignorantes seducti, peccant: cuiusmodi fuit Cain qui fratrem suum occidit, aut Saulus, qui Davidem persequebatur, cum tamen ipse suo ore confess⁹ fuisset, se ei facere injuriam. Pro talibus non orat Christus, qui dicit se non orare pro mundo. At pro errantib⁹ orat, dum dicit: Ignosce eis, quia nesciūt quid faciunt, id est errore peccant. Si enim eum cognovissent, nunquam dominū gloriæ crucifixissent. (2) Deliros vero impios appellare, hominis est propemodum delirantis. Nam in quem non cadit pietas, in eundem non cadit impietas: nō cadit autem in delirum pietas, non magis quā in bestiam: non cadit igitur in delirum impietas. (3) Et certe in fumum abijssent, si fuissent absurda deliria. Nec enim ita delirant homines ut capiantur absurdis delirijs, & futilibus ineptijs, ut ipse paulo post appellat. Pergit deinde paucis interjectis.

De mysterio Trinitatis & veterum disciplina ad Philip Melanct. apologia Omnia hac impressa sunt aº 1553. &c.

Calvinus 3.

1. Postea ex bonorum virorum relatu agnovi me fuisse deceptum.

Vaticanus.

Erravit igitur Calvin⁹, commisitque aliquid, ut sit dicendum non putavi. Hoc si quis antea de eo dixisset, is fortassis pro blasphemo habitus fuisset a Calvini discipulis. Pergit deinde paulo post, ubi antiquorum curiositatem accusavit.

Calvinus 4.

Quid hodie? major pars humano quoque pudore excusso, palam Deo illudit: (1) In tremenda

da eius mysteria non minus proterve irrumpit, quam si porci rostra in pretiosum thesaurũ ingererent. Vaticanus.

1. Videtur contra seipsum loqui. Dei vere tremenda mysteria sunt Trinitas, Prędestinatio & Electio. De his rebus hic homo sic affirmat, quasi fuerit in Paradiso, & ita spinose de Trinitate in hoc libro docet, ut nihil aliud quam simplicium conscientias hac curiositate labefactet, inque dubiũ vocet. De prædestinatione vero ita crude docuit, ut innumeros homines adduxerit in tantam securitatẽ, quanta fuit ante Diluvium, aut tempore Lothi, ut pręparatus ab eo mundus, possit adventu Domini securius opprimi. Calvinus. 5.

Multi impura scelestaque vita Evangelij professionem contaminant.

Vaticanus

Impuros & scelestos appellat adulteros, ebriosos, & eius generis cæteros, qui vere sunt impuri. Sed non intelligit, nullum hominum genus impurius esse quam hypocritas, qui sub ovina pelle oves devorant.

Calvinus. 6.

Atque ut alia taceam, videmus quam (1) audacter lasciviant plurimi in suis commentis: quamque inexplebilis novarum rerum cupiditas insani pruritus instanter alios exagitat.

Vaticanus

1. Vt ipsemet qui ita audax est, ut eius commentis contradicere Genevæ putetur nephas. Itaque nec infantes alijs verbis babtisare licet, quã pręscriptis a Calv. nec psalmos alijs diebus canere, Plus innovavit ipse decem ãnis, quam uni-

universa ecclesia sexcentis: cum tamen in suis Institutionibus in tales innonatores acerrime invectus fuisset, ut videatur eos depellere voluisse, quo ipse in eorum locum subiret. Ponam eius verba ex primarum Inst. (quæ Basileæ impressæ fuerunt anno 36) Capite 6. pagina 429.

Calvinus 7.

Calvinus in Institutionibus. .1. Legum vero ferendarum potestas cum et ipsa Apostolis incognita fuerit, et toties ecclesiæ ministris per verbum Dei adempta, miror qui eam, præter Apostolorum exemplum, contra manifestum Dei interdictum ad se trahere ausit. Non enim ambiguum est quod scribit *Iaco.4.* Iacobus: (2) Qui judicat fratrem, judicat Legẽ, qui Legẽ judicat non est observator Legis, sed judex: Vnus autem Legislator, qui potest servare & perdere. Et paulo post: Petrus quoque, *1.pet.5.* cum pastores officij sui admonet, sic gregem pascere hortatur, ne (.3.) dominium exerceant aduersus cleros. En precisum adeoque a radice revulsum, quicquid sibi potestatis vendicant, qui se sine verbo Dei efferre volunt. Non enim quicquã Apostolis datum, quo ipsi suam doctrinã & suum regnum stabiliant, sed duntaxat quo regnum ac doctrinam magnificent.

Vaticanus

.1. At tibi cognita fuit, qui Leges tulisti Genevæ ante annos octo, quarum authoritate et contra alios usus es, et proxime paucis diebus post mortem Serveti, Bertellerium oppugnasti, & Magistratus presidium ex Legibus, quas tu tulisses, Magistratus sanxisset, contra alios postulasti, & easdem ad tuas illas helveticas Ecclesias misisti, ut ex tuis illis, legibus pronunciarent de excom-

municando Bertellerio, quemadmodum paulo ante de Serveto pronunciarant. Quod si dices te non novas illas leges condidisse, sed omnia ex verbo Dei statuisse, Primum obijcietur nihil ergo a te scribendum fuisse, sed leges ut a Deo latæ sunt, sic relinquendas fuisse, Non ita proterve rostrum in prætiosum thesaurum ingerendum fuisse. Deinde quæretur ex te, ubinam doceat verbum Dei psalmos certos, certis diebus ad prescriptum Calvini canendos esse, & alia multa, quæ ex prescripto tuo sic istic observantur, ut sit contravenire magis nephas, quam si quis peccaret in Spiritum Sanctum. (2) Tu scilicet Servetum & innumeros alios non judicasti. (3.) Ipse ita dominatur, ut a multis simpliciter Dominus appelletur. Disputatum aliquando fuit inter ipsos concionatores, vtrum Calvinus Dominus appellari deberet, cum alij appellarentur Magistri, optinuitque dominatio, ut Domin⁹ appellaretur. Venit enim in eius ædes quidam pauper simplex homo, qui quæsivit an frater esset domi? Cui responsum est: Quid frater? Satis magnus est ut a te Dominus appelletur. Denique sic dominatur Genevæ Calvinus, ut eum offendere sit longe periculosius, quam regem Galliæ in ipsa regia. Sciunt hæc innumerabiles ab eo ejecti, & misere vexati, quos enumerare longa esset historia. Ostendat nunc tale aliquid vel fecisse vel docuisse Apostolos. Sed redeamus ad institutum Librum.

Calvinus 8.

His ergo vitijs justam ac debitam mercedem rependit Deus, dum homines alioqui non stupidos

pidos, & aliqua doctrina finctos, bruta quadã socordia in fœdos pudendosque errores prolabi sinit. Hoc, quanquam non in tempore, ut decebat, remedij adhibendi causa meditatus sum: ubi tamen re ipsa edoctus agnovi, non adeo miratus sum multos esse in(1) Italia tabe ista infectos. Quod dico non modo in bonam partem accipient, qui & (2) modesti illius gentis homines, sed in corrigendo (3) patriæ suæ malo (quod utinam non alijs quoque regionibus, & presertim Galliæ nostræ communæ foret) mihi libenter subscribent.

Vaticanus.

Est operæpretium perspicere cur hoc potissimum de (1) Italis dicat & Gallis. Cæteræ nationes Calvinũ magis ex scriptis norunt quam ex moribus. Hinc fit ut eum multi remotarum gentium homines habeant pro Deo, quod eius vitam putant ipsius professioni respondere. Ex Italia vero & Gallia multi Genevam confluunt & longinqua consuetudine Calvini ingenium nonnulli deprehendunt. Id cum antea patefiebat, tum vero in Serveto palam factum est. Nã quo tempore erat ibi Servetus in vinculis, venit eo forte fortuna Italus quidam Ictus celebris, cui cum de Serveto narratum esset, dixit se nunquam eius fuisse sententiæ, ut aliquis pro opinionibus quamvis hæreticis, moreretur, & ad id rationes suas adduxit. Deinde de opinione Serveti, qui dixisset Iesum Christum etiam quod ad humanitaté attineret, esse verum naturalemque Dei filium, ex ipso Deo & virgine genitum, nonnulla disseruit, & eam sententiam sibi non admodum displicere dixit, quin se a puero

Ictus nomen (ut mihi quidem videtur) exprimit argumento, ubi dicit Gribaldũ a Calvino superbe repudiatũ. Idem et hic dicitur.

puero ita semper sensisse. At fratres illi protin9 offensi, eum in Serveti opinione esse dixerunt, & si perseveraret, ut hæreticum devitandum. Cœpit ille ut de re valde ardua suspensus eos rogare ut sibi conventum darent, ubi rationē suam palam posset exponere: Aut saltem aures Calvini (cuius authoritatem ipse semper plurimi fecisset) sibi conciliarent, ut ab eo ea de re tanti momenti, apertius posset institui. Sed nihil impetravit. Itaque ea de re graviter commotus discessit, & ad Vincentinos fratres ea de re literas scripsit. Præterea Lelius quidam Zosin9 literas Genevam misit ad amicum suum, in quibus scribebat Abelis sanguinem conqueri ad Deum, & fore ut Cainus non inveniret pacem in terris. Item Bernardinus Ochinus redux ab Anglia Genevam pervenit postridie quam Servetus combust9 est, ad eum venit quidam, qui ei mortem Serveti narravit. Bernard9 vero ita locutus est, ut appareret ei non probari factum: Quæ res eum reddidit invisum. Ad hæc venerunt a Rhæticis fratribus quædam carmina, in quib9 dicebatur vnum Servetum a Calvino extinctum, sed revixisse innumerabiles: Corpus eius crematum, sed animā intactam remansisse: Si Christus ipse Genevam veniret, fore ut crucifigeretur: Non esse jam eundum Genevam ad Christianam Libertatē. Ibi enim esse alterum Papam, sed qui vivos torreret, cum Romanus prius suffocaret: Nam fere universi Itali, etiam qui Calvini doctrinā approbant, tum ea crudelitate offensi sunt gravissime, quod & in Gallia magna ex parte accidit. Hæc res nationib9 his Calvinū reddidit iniquiorem.

(2) Æquos

Æquos modestosque vocat eos, qui subscribũt eius crudelitati (3) Et quo nihil habent melius id patriæ malum appellat Calvinus, videlicet quod nolunt cuivis homini temere credere. Quod autem Italorum maximum vitium est, eius nullam mentionem facit Calvinus: Loquor de vindictæ cupiditate, qua nimirum laborant multi Itali. Sunt enim Itali natura valde boni aut valde mali. Sed quoniam id vitium Calvino cum Italis sic commune est, ut eis palmam præripuerit, prudenter de eo tacet.

Calvinus 9.

Vulgaris hic morbus est, ac fere ubique regnat, quod ut quisque ingenij agilitate pollet, ita eum titillat inanis curiositas, Sed in Italis forte propter rarum acumen magis eminet.

Vaticanus.

Mavult simplices et bardos, quibus posset quidvis persuadere. Ingeniorum Lumina reformidat, & extincta cupit, ne detegatur. Talis fuit olim præstigator ille Alexander pseudomantis, hoc est, falsus propheta, qui a suis præstigijs Christianos & Epicuræos remouebat. Tum ipse Calvinus de ingenij acumine potissimum gloriatur, & multa tam argute disserit, ut ea nemo intelligat: Sed vult solus esse, quo possit maiori cum lucro nundinari. Pergit deinde, & eos qui se eius crudelitatis ministros præbere nolunt, Serveti discipulos appellat, ut eos reddat invisos. Hic enim quorundam mos, ut quicunque eis non assentatur, is inferni aliquo nomine denigretur: Atheus, aut Libertinus, aut Anabaptista, aut quid aliud huiusmodi vocetur: quem quidem morem didicerunt a

patris

patribus suis, qui sic solebant pugnare: Samaritanus est, Dæmonium habet, quid eum auditis? Hac diffamandi ratione alios imperitos ab eis audiendis absternent, atque ita victoriam non auditis alijs obtinent. Dicit deinde eos esse Madianitarum similes, cum nulli unquam Madianitę magis inter sese dissiderint, quam ipse cum suis. Atque ubi proposuit se contra Servetum scripturum, ut alios ad sobrietatem revocet, causam sui facti sic reddit.

Calvinus 10.

Si quis obicijat vel ignavum esse bellum, quod mortuo infertur, idque non obscurum diffidentiæ meæ signum esse, quod nunc mortuo insultem, cui vivo & Loquenti pepercerim: vel crudelem esse, qui mortui hominis umbram insecter: Vtriusque prompta est facilisque defensio. Ego enim quam diu spes fuit eius (1) ad sanam mentem revocandi, privatim operam meam impendere non destiti.

Vaticanus.

Hoc est ad opinionem Calvini. Nam pro insanis habet, quicunque cum ipso non sentiunt. Sed fingamus sanum esse Calvinum, quomodo ad sanam mentem revocare potuisset eum, quem tam inique tractabat? Præcipere solent Rethores de concilianda auditorum benevolentia, quo persuaderi possit. Nam a quo quis alienum animum habet, ab eo persuaderi non potest. Calvinus orator bonus, ut Serveti benevolentiam sibi conciliaret, eum confestim rapuit in carcerem, omnes ad eum aditus, ijs qui eum consolari, aut ei concilium dare possent,

dili-

diligentissime præclusit. Omnes suos collegas in eum incendit : ipse eum in carcere absentem quotidianis concionibus ad populum invidiosissime traduxit. His rationibus conciliata Serveti benevolentia, eum ad sanam mentem revocare conatus est. Si me hercle Calvinum audire et ab eo discere Servetus statuisset, his iniquitatibus deterreri potuisset.

Calvinus. 11.

Ac ne dubijs narrationibus Lectores morer tantum (1) simpliciter referam, quod duabus ante mortem suam horis verum esse coram multis testibus confessus est. Quum meum colloquium petijsset (2) missi sunt duo Senatores (3) qui me in carcerem deducerent.

Vaticanus.

1 Quam simpliciter mox videbimus (2) Præterea quod est præcipuum, Negaverat se iturum nisi permissu Senatus. Et qui Senatum primo ad capiendum Servetum pene coëgerat, is nunc eum jam ad mortem damnatum adire sine presidio non audet. Itaque hanc puerilem Calvini simulationem ipsi Senatores admirati sunt. (3) In carcerem Calvinus (Christi Discipulus) a Senatoribus honorifice deducitur: Servetus sum ma cum ignominia a lictoribus ductus fuerat. Nunc confer cum Calvino Christum.

Calvinus. 12.

Quidnam vellet rogatus, dixit se a me veniam petere.

Vaticanus.

Expectabam ut confiteretur, que tu paulo ante dixeras, videlicet quod tu privatim operam tuam ad eum sanandum impendisses. Nihil tale confitetur, & tu nobis illudis, neque pro-

promissũ præstas. Non idem est veniam petere, & illa confiteri. An putas omnes ita bardos esse ut istam artẽ nemo animadvertat? Sta promissis, ostẽde illum ea esse confessum. Sed quoniam callide dissimulas, ego pro te narrabo. Erat Servetus paulo iracundior. Cum incidisset in Calvinum, hominem extremæ iracundiæ, & ab eo ita inique tractatus fuisset in vicula, exacerbatus ita est, ut in eum multa magis iracũde, quam Christiane dixerit. Ad ea quid Calvinus responderit, qui non adfuerunt, conijciãt ex eius scriptis & concionib9, quas in eum toto illo tempore habuit: Igitur Servetus postquam sibi mortem instare vidit, cœpit de reddenda ratione Deo cogitare: & quoniam intemperantius locut9 fuisset, a Calvino veniam petijt, non propter doctrinam, neque quia Calvinus ei unquam benefecisset, sed quia Servetus maledicta maledictis, cõtra Domini preceptũ, rependisset. Hæc dissimulans, tenebras offudit oculis lectorum, quasi Serveti modestia Calvinum reddat insontem. Hic subit illud quod in proverbijs: *Dives cum fecit injuriam insuper minatur: Pauper cum affectus est injuria supplicare cogitur:* Servetus capitis damnatus, a Calvino damnatore suo veniam petit. Calvinus veniã Serveto neque viventi dedit, neque mortuo, ut ostendit totus hic liber in illum accusatorie scriptus, & conciones, & quod eos tam acerbe & verbis, & factis, & scriptis insectatur, qui Serveti vicẽ audent vel misereri. En pastorem ovium Christi, qui animam suam ponat pro ovibus suis: en hominem Christianũ, qui Solem occumbere non patitur super iracũdiam suam:

Calvinus

Calvinus 13.

Ego vero ingenue præfatus(1) me nunquam privatas injurias persecutum, quāta potui mā-suetudine admonui: jam me ante annos .16. non sine præsenti vitæ discrimine obtulisse meam operam ad eum sanandum, nec per me stetisse, quo minus resipiscenti manum pij omnes porrigerent. Deinde Literis privatis cum ipso placide egisse, nec ullam captasse ostentationem, Denique nullum a me benevolentiæ officium fuisse pretermissum, donec libris meis objurgationibus exacerbatus (2) rabiem magis quam bilen effudit.

Vaticanus

.1. Negat se unquam privatas injurias persecutum, qui vindictæ cupiditate sic ardet, ut eum nemo de Magistratu quidem offendere ausit ulla minima ore, nisi velit suscipere inexpiabiles inimicitias. Atque hæc sunt toti illi nationi notissima. Enimvero est operæ pretium ex ijs quæ scripsit, cognoscere hominis erga Servetum benevolentiam. Scripsit Calvinus commentaria in Ioannem, quibus commentarijs epistolam prefixit Robertus Shephanus, in qua Calvini in refellendis aliorum opinionibus modestiam mirifice predicat. In prima statim pagina eorum commentariorum Calvinus Servetum his verbis aggreditur: Servetus superbissimus ex gente Hispanica nebulo. En modestiam dignam quam Robertus ad cœlum extollat. Sed facit Robertus quod cæteri Calvini Discipuli: Hominem tanti faciunt ut eius facta et dicta omnia nullo judicio, ne considerata quidem, certatim celebrent. Quo quisque

que eum magis laudavit, eo Christi amor est.
Adducam aliud exemplum modestiæ Calvini in Servetum. In Libro de scandalis, pag. 59. sic scribit: Pro multis unum exemplum Serveti sufficiat. Is enim Lusitanico fastu inflatus, magis etiamnum propria arrogantia turgens, hanc sibi comparandi nominis rationem optimam esse statuit, si omnia religionis principia convelleret. Quicquid ergo de tribus in Deo personis, olim ab ipso Apostolorũ seculo traditum a patribus, & continua ætatũ serie ab omnibus pijs receptum fuit, non modo tamque insultum repudiat, sed plusquam atrocibus convitijs exagitat ac proscindit. Tantum canina illa mordendi latrandique rabies, quã ebulliunt omnes scriptorum eius paginæ, satis testantur, qualis hominem spiritus instiget. Ad rem vero si venias, satis perspicies jejuna inanis gloriæ siti jaccensum, absurdissima quequæ deliria cupide hausisse, quibus sese inebriaret, &c. Interim multa speculationum plaustra congerit, quę adeo nihil habent coloris, ut facile sano cuivis homini constet, non nisi cœco sui amore fascinatum, posse ita desipere. Hęc sunt verba Calvini. Credam⁹ igitur eum vitam suam obtulisse perinde propter Servetum, in quem caninam hanc mordendi Latrandique rabiem (benevolentiæ suæ judicium) ebulliverit, ut ostenderet quali mansuetudinis spiritu instigaretur. Et postea non erubescit, publicatis toto orbe libris differere (2) Deest, & qui Servetum vivum torruerunt. En pietas, deberet hoc saltem dicere sine rabie. Cætera quæ deinde ponit, omitto, quod Serveti libros non habeo &

B Cal-

Calvino credere periculoſum nimis eſt. Subij-cit deinde.

Calvinus. 14.

Cum monendo & hortando nihil proficerem nolui(1) ſupra magiſtri regulam ſapere (2) nam ab hæretico homine qui *Loſoraplixiritos* peccabat, ſecundum Pauli Apoſtoli præceptum, diſceſſi.

Vaticanus.

Callide tacet quid reſponderit Servetus: & tamen ſupra dixerat ſe relaturum quid Servet⁹ duabus ante mortem ſuam horis confeſſus eſſet(1) Magiſtri regula eſt, peccantem admonere ſeorſum: Deinde adhibito uno aut altero teſte: Poſtremo, dicere Eccleſiæ. Calvini prima admonitio fuerunt illa, quæ ſupra poſuim⁹ convitia: altera carcer: tertia faſces. Hanc rationem a Magiſtro Chriſto non didicit(2) videlicet Calvinus hoc loco hæreticum appellat eum, qui aliquoties admonitus non paret: & recte ſane. Sed oportet admonitionem eſſe & bonam & veram. Bona eſt, quæ a charitate proficiſcitur: Calviniana admonitio fuerunt vincula: Talis admonitio etiam amicum alienare poſſet, tantum abeſt, ut alienatum revocare valeant. Vera admonitio eſt de re vera, & in qua is, qui admonetur peccare ſe videat: Vt ſi ebrioſum rite moneas & amice ut ſe corrigat, ſi non parebit aliquoties monitus, erit pertinax & habendus pro publicano. Quod ſi Servetus a Calvino amice & ex Chriſti præcepto monitus fuiſſet, & errores ſuos videns, tamen in eis pertinaciter perſeveraſſet, recte a

Cal-

Calvino vocaretur hæretic⁹. Sed talem non fuisse, ostēdit ipsa confessio Calvini, qui supra dixit eum veniā petijsse ab ipso Calvino, id quod fuit animi certe non præfracti, neque pertinacis neque se facile sic demitteret Calvinus. Quod si sic errores suos vidisset Servetus, quomodo vidit modestiam, non fuisset ei gravius errores confiteri, quam à Calvino (ut dictum est) veniam petere.

Calvinus 15.

Ad populum quod in plausibili causa me non venditavi, modestiæ, non timiditati tribuent æqui & boni Indices.

Vaticanus.

Hic Locus clarior fiet ex pagina 663. ubi sic loquitur Calvinus: Qum varie denique, diuque verbis certatum foret, & subinde querimoniam illam repeteret: Non decere pietatis causas in carcere tractari. Respondi quod verum erat, & initio præfat⁹ eram, nihil mihi fore gratius, quam si in templo & toto populo audiente disceptaretur. Cur igitur factum non est, si utrique gratum erat? Quod si postea recusavit Servetus, cur id modestiæ suæ tribuit Calvinus, non recusationi Serveti? Iam quod causam vocat plausibilem, de Trinitate loquitur, quæ in vulgus ideo plausibilis est, quod vulgus non aliam Trinitatem novit aut comprehendit, quam qualis a pastoribus depingi solet.

Calvinus. 16.

Quin potius formidavi, ne si argumentum illud ex animo & serio tractandum suscipe-rem, malevoli forte aliqui aut blasphemi obstre-

 perenq;

perent me pugnandi nimis esse cupidum.

Vaticanus.

Cur ergo quodam die Dominico frequentissima concione Serveti (qui tum recens erat in carcere) opiniones populo exposuisti, & copiose tractasti? An malebas cum absente pugnare quam cum presente?

Calvinus. 17.

Quam præpostera obsecro ista est humanitas, ut si silentio tegatur unius hominis dedecus, Sathanæ aucupijs mille animas prostitui.

Vaticanus.

Si Serveti errores ista aucupia sunt, tum mille animas Sathanæ aucupijs prostituis, qui eas agites & Camerinam moveas. Quamvis enim multa dissimulas, multaque trunca allegas, tamen ex ijs ipsis etiam in Libro tuo capientur multi. Poterit enim venenum potores lædere, etiam in paulo tuo, licet de vino tuo multum affundas. Vidi ego hominem qui citatis a te pagina 215. Serveti rationibus, de non baptisandis infantibus, ita sit captus, ut dixerit nihil esse apertius. Adeo frigidæ sunt tuæ rationes. Iam illud quale est, quod se fingit sollicitum esse de Salute animarum, quo possit corpora cremare, ut post apparebit.

Calvinus. 18.

Vtinam sepulti essent Serveti errores. Sed dum eos volitare audio, tacere sine perfidiæ culpa non licet,

Vaticanus.

Tu ipse in causa es ut volitent, vt enim prioris eius libri nulla fere erat mentio, ita hic posterior poterat aliorũ more vendi sine tumultu.

Nunc

Nunc postquam tu hominem cum libris combussisti, ardent omnes eius legendi cupiditate, & putant ibi aliquid fuisse boni contra te, propterea quod tu librum & tunc cremari volueris, & nunc maledictis obruere coneris. Has turbas omnes excitasti, quę sine te nullæ forent.

Calvinus. 19.

Quanquam non tam huius Lucubrationis, quam inflictę homini pœnæ, reddenda Ratio est. Nam quicquid a Senatu nostro actum est, mihi passim asscribitur. Nec sane dissimulabo mea opera consilioque jure in carcerem fuisse conjectum. Quia recepto huius civitatis jure criminis reum peragere oportuit, causaque huiusque me esse prosecutum fateor. Ex quo convictus, me nullum de pœna verbum fecisse non solum boni omnes viri mihi testes erunt, sed malis etiam concedo ut proferant si quid habent.

Vaticanus.

Principio cum rumor esset opera Calvini fuisse captum Servetum, amici Calvini id negabant, ut Calvinum ab hoc crimine defenderent. Nunc ipse suis hanc defensionem præripit: se authore factum confitetur, sed jure factum affirmat, quod an verum sit post disputabimus.

Calvinus. 10.

Sed quatenus progressus sum, non tanti est ut publico libro Calumniam, quam mihi aspergunt vel turbulenti homines, vel maligni, vel stolidi & ebriosi, purgetur. Alia ut vidio causa nunc agenda est.

Vaticanus.

Vaticanus.

Attendite per Deum immortalem hominis animum & concilium, horrebitis si vere perspexeritis. Vult ostendere non solum, se recte fecisse, sed ita etiam omnes hereticos tractandos esse ut tractatus est Servetus. Venit in mentem concilium Hamanis, qui pro nihilo duxit in unum Mardochæum mittere manus suas (audierat enim quod esset gētis Iudææ) mag isque voluit omnem Iudeorum, quæ erat in regno Assueri, perdere nationem. Sic hic novus Haman parum habet unum extinxisse, nisi detur insuper propemodū universo hominum generi paria facere, vt ostendem9. Vult enim occidendos esse omnes hæreticos: hereticos etiā vult haberi omnes, qui ab ipso dissident. Ita fiet ut omnes Papistæ, Lutherani & Zwingliani, & Anabapistæ, & si qui alij sunt, sententia Calvini sint interficiendi, solique supersint in terris Calviniani cum Turcis & Iudæis, quos excipit. Nam illos omnes a Calvino dissidere postea ostendemus.

Calvinus. 21.

An Christianis judicibus hæreticos punire liceat.

Vaticanus.

Quæso vos lectores, vt utriusque dicta benigne audiatis. Hoc volo ostendere, nullam a Calvino ad hoc probandum firmam rationem aut authoritatem adduci, eumque sola regnandi cupidine, sanguinisque inexhausta siti omnia hæc dicere, quæ dicit. Hæc nisi plana fecero, non recuso quo minus omnes me damnent.

Calvi-

Calvinus. 22.

Atque ut hic mihi cum duobus, hominum generibus negotium est, ita distincte utrosque ut merentur, tractabo. Multi hodie sunt turbulenti homines, quibus si liberum foret, quicquid intus conceptum habent, effutire, nihil non pro effræni sua audacia convellerent. Istis non mirum est si tantopere arridet impunitas, Licentiæ mater: facile etiam subscribent Epicuræi omnes ac Lucanici, quorum voluptati hoc unum deest, quod quæ inter se clanculum & ænigmatice sacrilegia obmurmurant, pleno ore crepare non audent.

Vaticanus.

Quæso te, Domine Calvine, si tibi lis esset de hæreditate cum aliquo, & is a Iudice postularet, ut sibi loqui liceret, tibi non liceret, nonne tibi diceres fieri injuriam? Cur alijs facis quod tibi fieri non vis? Lis est de Religione, cur alijs os præcludis? Nisi quia tibi male conscius metuis ne detegaris aut vincaris, atque ita deijciaris de dominatu tuo? Quem vero Lutherum, quem alioqnin tanti facere soles, appellabis? Epicuræum ne an imperitum? Is enim in postillis in. 13 Cap. Math. sic contra te loquitur. *Hic vero vide*, vt malesani hactenus fuerim", *qui Turcas* bello, heræticos igne, Iudæos necis metu, *& alijs* injurijs voluimus ad fidem compellere, *& Zizania* nostris viribus evellere, ac si "
nos illi essemus, quibus potestas esset in corda "
& spiritus, & in nostra manu ad justitiam & "
pietatem omnes homines revocare. Quod si "

 unus "

„ unus Deus non faciat, manet perpetuo infectum. Nos isto pacto vere homines potius a verbo avellimus, eos perimendo ne possit in eis aliquid operari: & duplicis necis (quantũ in nobis est) non reos constituimus: Corporis, quod perdimus morte temporaria, & animarum, quas in gehennam detrudimus, morte afficientes æterna: Postea jactamus obsequium nos præstitisse Deo, ac peculiare nobis pollicemur hinc in cælo præmium. Iure igitur debebat hic locus inquisitores hæreticorum et homicidas illos (qui ob errorem quemlibet, qui ipsis videtur, homines adeo facile mactant, si non esset illis frons ferrea, etiamsi quando vere hæreticos in manibus haberent) perterrefacere. Nunc autem exurunt veros sanctos, & sunt ipsi hæretici. Quod quid aliud est, quam evellere triticum, & præ se ferre evulsionem zisaniorum. Hæc agunt isti Homines vere amentes, *& præterea nihil*. Vide Calvine, hic Lutherum a te damnari, & vicissim ab eo te hæreticum & homicidam, & frontis ferreæ, & amentem appellari. Audi nunc vestram concordiam prædicare. Sed quid unum Lutherum commemoro? Impressus est Liber, cui titulus est: De hæreticis an sint persequendi, quo in Libro citantur plurimi autores, quos universos tu damnas. Citantur enim ibi Augustinus, Hieronimus, Hilarius, Chrysost. Theophilactus, Pellicanus, Lutherus, Brentius, Otto Brunfeldius, Vrbanus Regius, Cælius Secundus, S. Castalio, Georgius Renbergius, & ipse Ioannes Calvinus, & alij multi, qui omnes contra Calvinum pugnant, quos omnes nunc Cal-

vinus

uinus uno in fasce colligatos conjecit una secum in cineres Serveti : Tantas sane inferias inimico suo mittens, tanta est ulciscendi cupiditas, Et postea audet dicere, eos sacrilegia obmurmurare: quasi vero non sit verisimilius eum sacrilegia & portenta meditari, qui sibi soli ac suis loquendi potestatem permitti postulat.

Calvinus. 23.

Denique quotquot pœnæ metu magis quam pudore a male scribendo cohibentur, indigna tijrannide Ecclesiam opprimi contendunt, nisi cuique liberum sit, quæ placuerit in lucem proferre.

Vaticanus.

Male scribere putat omnes, qui non ipsius arbitratu scribunt. Itaque eos non solum a scribendo, sed etiam a loquendo arceri postulat, ut sibi soli quidvis effutiri liceat, & hanc negat esse tijrannidem. Pergit deinde & disputat contra Servetum quædam, que ego hic non ponam. Non enim Servetum, sed veritatem defendo. Ad finem sic loquitur:

Calvinus. 24.

Ad hæc, unde inter fidei violationem, & alia maleficia discrimen, nisi ex cerebro suo sumpsit?

Vaticanus.

Facillime sumi potest discrimen hoc vel ex parabola de satore, ubi qui semen acceperunt inter saxa vel inter spinas, fidem violant & a veritate, quam lœti acceperant descíscunt, hic propter curas, ille propter persecutiones, & tamen eos nulla lex interfici jubet. Cur? quoniam

niam fidem, violant: sed proximo non nocent: quemadmodum nec invidi, nec avari aut vindictæ cupidi, si hæc vitia intus clausa teneant. Quod si Calvinus vult omnes hos interficere (qui tamen fidem violant, & in Dei conspectu nihilo sunt furibus aut homicidis meliores) quis supererit?

Calvinus 25.

Si vult Christi adventu mitigatum esse contra hæreses rigorem, testimonium proferat.

Vaticanus.

Quomodo mitigatum? Ante Christi adventum nulla fit in tota Lege hæreticorum mentio: & tu illic hæreticorum pænam petis, ubi nihil nominatur? Nam si putas rigorem non esse mitigatum, ostende rigorem ullum Legis fuisse in hæreticos ante Christi adventum: Ostende nomen hæreticorum. Neque vero nego tum quoque fuisse hæreticos: sed in eos poenam Lege constitui non invenio: At in novo Testamento evitandos invenio. Itaque poena non est vel mitigata, vel mutata: sed in novo Testamento constituta & inde petenda.

Calvinus. 26

Prodit alter fanaticus ex suo antro, qui Servetum vocat optimum suum fratrem, & ideo puniendos esse negat hæreticos, quia sacris oraculis sensum quisque suo arbitrio affingat, ut certa veritas quasi nubibus obvoluta jaceat.

Vaticanus.

Indignatur esse aliquē, qui dicat sacras literas esse obscuras: ipse putat apertas: In quo pugnat contra Zwinglium, qui putat obscuras pugnat contra seipsum, qui ad has tam apertas Literas

Literas aperiendas, pene innumeros edidit Commentarios: pugnat contra eos omnes qui hactenus tam multos de his libros & scripserunt, & quotidie scribunt, ut omnibus legendis non sint satis tres ętates hominis. Ipsemet in præfatiuncula in suas institutiones, dicit suum institutionum Librum esse ad Scripturas intelligendas instrumentum necessarium: Denique multos jam annos quotidie concionatur, scribit, Disputat, ad declaranda ea, quæ dicit esse clarissima.

Calvinus. 27

Ita bonus interpres fidem ex hominum cordibus delere mavult, quam pœnis subijcere, qui eam labefactant.

Vaticanus.

Non delet fidem ex hominum cordibus qui hęreticorum pœnam vult in adventum Iudicis differri: nisi vis Christum ipsum accusare, qui jubet usque ad messem zizania relinqui: Nec item, a pœnis vindicat, qui vult eos suo tempore a Deo, non permature ab hominibus puniri.

Calvinus. 28.

Qualis enim extabit religio? 2. Quibus notis discernetur vera Ecclesia? 3. Quid denique erit Christus ipse, si incerta sit ac suspensa (4) Pietatis doctrina?

Vaticanus.

1. Erit fundata in fide certa de rebus quę sperantur, non cernuntur, qualis fuit Abrahami, qui jussus migrare, paruit, cum nesciret quo vaderet: Iussus mactare filium, obedivit, cum tamen eventum ignoraret. Sed eius erat cer-

ta

ta fides, quia fidelis Deus promiserat. 2. Charitate, quę a fide proficiscitur, cuius pręceptio, certa est. *In hoc enim, inquit, cognoscent Homines vos esse meos discipulos, si dilexeritis vos inter vos* 3. Lapis offensionis ijs, qui nihil volunt credere, nisi quod intelligunt. *Est enim fides rerum quæ non cernuntur. Beati qui non viderunt & crediderunt.* (4) Pietatis doctrina: Diligere inimicos, benefacere ijs qui nobis malefaciunt: Esurire & sitire Iustitiam: beati qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam: Ve vobis, cum de vobis benedicunt omnes Homines: sic enim faciebant falsis Prophętis. Hec & alia huiusmodi certa sunt, etiamsi ignorentur obscurę ille questiones de Trinitate, de Predestinatione, de Electione, & cetere, propter quas Hęretici habentur homines, & quas multi pij ignorarunt.

Iohã.13. 35. *Hebr. 11 1.* *Iohã.20. 29.* *Matth.5* *Luc.6.* Nota. ☞

Calvinus 29.

Quantum vero Dei probrum est, si ita (1) flexiloquus censetur in suis oraculis, ut nobis jocose illudat? atqui nisi certa Religio prodita sit in Scripturis, sequitur nos ambagibus, imo fallacijs ab ipso frustra occupari.

Vaticanus.

Imo quantum Dei probrum, nisi sit flexiloquus? Nam si aperte loqueretur, obijceret margaritas porcis, cum oracula legant multi porci. Primũ Paul⁹ ait, Iudæos velatum habere vultũ dum Legẽ legunt, nec posse intendere in Christũ, qui finis Legis est: ut vniversa Lex Iudæis nihil aliud fuerit, quam flexiloquentia. Atque idem docet Moises: *Quæ sunt abdita inquit, ea sunt Domini Dei nostri: quæ aperta vero, ea sunt nostra,*

2.Cor.3 *Deuter. 29.29*

nostræ, & nostrorum filiorum in æternum, ad exe- „
quenda omnia quæ dicta sunt in hac Lege. Quasi „
hoc diceret: Quæ in hac Lege in ceremonijs & cæteris significantur, ea nobis oculta, sunt penes Deum condita. Sed quæ nos facere jubet, ut de amando Deo & proximo, de non occidendo, & furando: itemque de sacrificando & cæteris, ea nobis aperta sunt, quod ad obedientiam attinet, ut ea faciamus: etiamsi quæ ibi latent, ignoremus. Hæc enim est vera fides & obedientia, tantum tribuere Deo, ut facias quæ jubet, etiam si nescias quorsum spectat.
Ipse Esaias oraculũ suum vocat Librum clau- *Esa. 29.*
sum, quem nec illiterati, nec literati possint in- *11.*
telligere. In fine Danielis scriptum est: id ora- *Daniel.*
culum esse obsignatum usque ad tempus ulti- *12. 9.*
mum, nec intellectum iri ab ullis impijs. In psalmis proponuntur quædã ænigmata, quæ nihil aliud sunt quam flexiloquentia. Hic certe fatendum est, Deum esse flexiloquum, nec tamen jocose illusisse, ut calumniatur Calvinus:
Nam Dei gloria est abscondere verbum, & Calvi- *Pro 25. A*
nus putat probrum esse. Neque vero dici potest in novo Testamento non esse flexiloquium,
cum ibi scriptum sit, Christum cum externis *Marc. 4.*
non nisi par parabolas agere, hoc est, flexilo- *33. 34.*
quentia: sed Discipulis omnia seorsim aperire, Ex quo apparet sacras literas non nisi a Christi discipulis vere intelligi posse. Sunt autem Discipuli Christi qui ei obediunt & charitatem habet, ut supra dictum est: ij soli eas intelligunt: cæteris quidem, quamvis omniũ scientiarum peritis, sunt Laqueus. Videre licet Apocalypsim mera esse ænigmata, quæ a solis sapienti-

entibus, hoc est, Deum timentibus possint per-
apoe. 5. spici. Est enim Liber clausus, quem solus ag-
nus aperire potest. Paulus ipse de Antichristo,
& ultima tuba, & Christi adventu, ænigma-
tice vaticinatus est: Denique omnia sunt ęnig-
matum plena, quæ erit maxima Dei gloria,
cum hæc ænigmata suis, hoc est pijs ad ex-
tremum aperuerit: & Calvinus putat Deum
affici probro, si dicatur flexiloquus, cum ea
demum vera certaque fides sit, credere Dei
dictis flexiloquis, quæ non intelligas, quoniam
persuasum habeas eum esse veracem. Nihil ve
igitur certum est? Imo omnia, que sunt nobis
ad salutem adipiscendam, & ad obedientiam,
officiumque nostrum necessaria. Certum est
ea omnia esse vera, que sunt in sacris literis.
Certum est Iesum esse Christum, esse Dei fili-
um, & ea gessisse quæ de eo scripta sunt. Cer-
tum est nostro tempore detectos esse plurimos,
& eos ita crassos errores, vt palpari possint.
Certa sunt pietatis precepta, de amando Deo
& proximo, de amandis inimicis, de patientia,
de misericordia, de benignitate, & cæteris
huiusmodi necessarijs officijs. Sed nos hæc, que
sunt officij nostri negligentes, de Dei officio
sumus sollíciti, & perinde, ac si ei fuerimus
a consilijs. De eius æterna Electione multa
disputamus, & de Predestinatione, & de Tri-
☞ nitate, que nunquam vidimus affirmantes,
et quæ sunt ante pedes omnia contemnentes.
Hinc nascuntur questiones infinitæ, quarum
exitus sanguinis inopum & imbecillorum, si
nobiscum sentire nolunt, effusio est.

Calvinus.

Quid

Calvinus. 30.

Quid superest? Nisi ut eiusmodi homines viam petulantię suæ facturi, Scripturam, quę obstaculo est, penitus submoveant.

Vaticanus.

Mera calumnia est. Non submovet Arcam oraculi, qui dicit esse clausam. Non submovet Esaiæ aut Danielis ænigmata, qui dicit ea intellectum iri vltimo tempore.

Calvinus 31.

Interea verum esse, quod nuper dixi, apparet, tum Lucianicos, & crassos Dei contemptores, tum etiam omnes tumultuosos suam causam agere, ut omnia impune perturbent, *dum Religionem tuendam a principibus suscipi, & Legum pœnis vindicari nolunt.*

Vaticanus.

Hic graviter damnat Lutherum suum & Augustinum, cæterosque omnes quos supra citavimus, & eos omnia uno in fasce impune & tuto perturbare velle dicit. Callidus & quorundam latronum similis, qui viatores admonent ut caveant a latronibus, quo suspitionem declinent. Sic Calvin⁹ cum velit omnia perturbare, alios huius criminis accusat, ne quis hoc de ipso suspicetur. Certũ est in persecutionib⁹ (quales hic molitur maxime perturbari omnia ut ipse interficiendo Serveto non solum Genevam suam, sed totam pene Europam perturbavit, & plurimorum animos gravissime labefactavit. Iam quod dicit alios suam causã agere, hoc ipsemet agit. Olim enim cum perse-

secu-

ſecutionem pateretur, ſcripſit contra perſecutionem longe aliter quam hic. Ac ne quis hac de re dubitet, ponam eius verba ex Inſtitutionibus primis: nam in ſecundis, ut cauſam ſuam ageret, omnia perturbavit. Sic igitur loquitur in primis Inſtitutionibus Cap. 2. pag. 144. de excõmunicatis: *Qui vero* aut nobiſcum non
„ *conſentiunt* in eandem fidem, aut etiam ſi con-
„ feſſionem *in labris* habent: Deum tamen, quem
„ ore *confitentur*, operibus abnegant (ut quos
„ videmus in omni *vita* ſceleratos ac perditos,
„ peccandi voluptate ebrios, maliſque ſuis in-
„ dormientes) huiuſmodi omnes ſuis ſe inditijs
„ produnt non eſſe ad pręſens Eccleſię membra.
„ In hunc uſum conſtitutę ſunt excõmmunica-
„ tiones, quibus a fidelium conſortio abdicaren-
„ tur atque expellerentur ij, qui fidem Chri-
„ ſti falſo obtendentes, vitę nequitia, effręnique
„ peccandi licentia nihil aliud ſunt quam ſcan-
„ dala Eccleſię, ideoque indigni qui Chriſti no-
„ mine glorientur. Primum ne cum Dei contu-
„ melia inter Chriſtianos nominentur, ac ſi ſanc-
„ ta eius Eccleſia foret maleficorum & publica
„ improborum hominum conjuratio. Deinde ne
„ frequenti conſuetudine alios corrumpant per-
„ verſe vitę exemplo. Poſtremo ut eos ipſos pu-
„ dore confuſos ſuæ turpitudinis pœnitere inci-
„ piat, ac ex ea pœnitentia reſipiſcere tandem
„ diſcant. Tales quidem judicare, poſſumus pro
„ tempore ab Eccleſia alienos, quantum cernere
„ datur, ac ſecundum eam, quam diximus notitię
„ regulam. Verum ne ſic quidem deſperandi a no-
„ bis ſunt, quaſi extra manum Dei abjecti, ac om-
„ nino nephas quempiã expungere ex electorum
nume-

numero, aut desperare quasi jam perditu, nisi quos certo constet verbo Dei jam damnatos: ut si quis data opera ac destinata malitia veritatem oppugnet, ut opprimat Evangelium, & nomen Dei extinguat, & Spiritui sancto resistat. De ijs enim jam ore Dei pronunciatum est, cum dixit, non remitti peccatum in Spiritum sanctum, neque in hoc seculo neque in futuro. Quod raro adeo a nobis sentiri potest (si vnquam tamen potest) ut sanioris sit consilij expectare diem revelationis, nec temere judicio Dei præire. plus licentiæ ne nobis in judicando arrogemus, nisi volumus Dei virtutem limitare, ac misericordiæ eius legem dicere, cui quoties visum est, pessimi in optimos mutantur, alieni inseruntur, extranei cooptantur in Ecclesia, ut sic hominũ opinionem eludat & temeritatem retundat, ne sibi judicandi ius supra quam decet vsurpare audeant. Danda potius opera, ut mutuo candore alter de altero quam poterit optime fieri sentiamus: alij aliorum facta & dicta vicissim in optimam partem accipiamus, non, ut suspicaces solent, oblique ac sinistre torqueamus. Quod si qui ita perversi sunt ut de se bene sentiri non permittant, eos tamen in manum Dei committamus, bonitatique eius commendemus, meliora de his sperantes, pacem & charitatem alamus, nec stolide irrumpentes in secretiora Dei juditia, errorum tenebris nos involuamus. Et vt vnico verbo absolvam, non personam ipsam, quæ in manu atque arbitrio Dei est in mortem abdicemus, sed tantum qualia sint cuiusque opera æstimemus ex lege Dei, quæ boni & mali regula

„ est. In hunc sensum accipiendę sunt excommu-
„ nicationes, non quibus deijciantur ex spe salu-
„ tis, qui coram hominibus abdicantur ex Eccle-
„ siæ grege, sed vt in viam redeant, quemadmodū
„ Paulus scribit, se tradidisse hominem Sathanæ
„ in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret in
„ diem Domini, hoc est (ut ego quidem interpre-
„ tor) conjecisse in damnationem temporariam,
„ ut in æternum salvus fieret. Itaque tametsi fa-
„ miliarius versari aut interiorem consuetudi-
„ nem habere cum excommunicatis per Eccclesi-
„ asticam disciplinam non liceat, debemus ta-
„ men contendere quibus possumus modis, sive
„ exhortatione ac doctrina, sive clementia ac
„ mansuetudine, sive nostris ad Deum precibus,
„ ut ad meliorem frugem conversi in societatem
„ ac vnitatem Ecclesiæ sese recipiant. *Neque ij*
„ *modo sic tractandi sunt, sed Turcæ quoque ac Sara-*
„ *ceni, ceterique veræ Religionis hostes, tantum abest*
„ *ut probandæ sint rationes, quibus eos ad fidem no-*
„ *stram adigere hactenus moliti sunt, dum aqua &*
„ *igne, communibusque elementis illis interdicunt,*
„ *cum omnia illis humanitatis offitia denegant, cum*
„ *ferro & armis persequuntur*. Hęc tum Calvinus,
quæ omnia, si quis cum ijs quæ nunc facit & scribit conferat, tam pugnātia videbit, quā pugnant Lux & tenebræ. Nunc enim vires nactus, causam suam agit. Et quia Servetū interfecit, vult omnes interfici, qui a se dissentiunt, & personas ipsas contra suam ipsius normam in mortē addici. Itaque mirum non est, si vult alijs silentium imponi: metuit enim ne suam hanc in deterius mutationem & inconstantiam detegat

aliquis

aliquis, Itaque ergo lucem reformidat, quia male agit. Neque vero est quod dicat, se tum de homine leviter peccante scripsisse. Imo scripsit de ijs, quos videmus in omni vita sceleratos ac perditos (ut ipsius verbis vtar) peccandi voluptate ebrios, malisque suis indormientes: qualem vix credibile est fuisse Servetum: Etiamsi jam vera forent, quæcunque ei Calvinus imponit: Et tamen si talis fuisset, debuit Calvinus sua regula in eum vti, non ipse secum ita pugnare.

Calvinus. 32.

Sed jam ad bonos & simplices me converto, qui inscitia quidem labuntur, præcipue tamen tijrannicis Papistarum edictis offensi, a recto juditio declinantur. Vident cum impie sub Papatu fœdata sit Religio & corruptelis innumeris referta, meris terroribus diabolicam illam confusionem fulciri, vt contra vel syllabam vnam mussitare capitale sit.

Vaticanus

Quis cœlum terræ non misceat & mare cœlo, si fur displiceat verri, si homicida Miloni? Hic homo invehitur in eos qui faciunt quæ facit ipse. O frontem effrontem, qui hoc toto Libro id unum agit, ut sua ferro defendat & contradicentes ferro tollat, is de aliorum tijrannide & terroribus conqueritur: cum ipse Genevam terroribus ita compleverit, ut ipsi consules (nisi qui jam sunt hostes aperti) mussitare non audeant.

Calvinus.

 Iusta

Calvinus. 33.

Iusta sane offensio, veritatem Dei cernere & ferro & ignibus oppressam, ut nemo eam suo patrocinio juvare audeat. Errores vero Legitimi judicij prætextu violenter septos, ut coarguendi nulla sit libertas. Atque hęc querimonia pijs omnibus communis est. Itaque non taciti solum gemimus, sed clara voce deflemus, eo servitutis redactum esse miserum orbem, ut nec ulla disceptatio locum habeat, nec qui pręsulū nomine dominantur, vocem aliquam suis placitis dissonam admittant: Nec denique dubitare vel inquirere permittant.

Vaticanus.

Ego non possim gravius in Calvinum invehi quam ipse in seipsum invehitur. Nam hæc omnia prorsus eodem modo facit quæ culpat in alijs.

Calvinus. 34.

Barbaries est non ferenda, ubi nulla viget cognitio, possessionem nullo jure nec ratione munitam, gladio tueri.

Vaticanus.

Cur ergo tuam gladio tueris? Cur ergo Hieronymo, cur Gribaldo cur Serveto (ut multos alios taceam) non fuit apud vos libera ex quo loco disceptandi potestas? Estne apud vos libertas in carcere? Si rationem habes, cur ea contentus non es? Cur vi rem geris? Cum scripseris ad Regem Daniæ, pelli e medio sapientiam, ubi vi res geritur, Cur pepulisti e medio sapientiam.

Calvinus. 35.

Verum cum sanctos Dei Prophetas & Aposto-

los olim similis premeret iniquitas, non negarunt, quin Dei cultum & cœlestem eius doctrinam fas esset legittima potestate defendi, ut de impijs eius eversoribus pœna devinitus præscripta sumeretur. Severum certe, ut postea videbimus, judicium Deus in eos constituerat, qui populum tentassent a vera religione abducere.

Vaticanus.

Neque nos negamus. Sed quinam sint impij isti eversores controversia est. Neque enim pro impijs doctrinæ cœlestis eversoribus protinus habendi sunt si qui a Calvino in rebus controversis dissident. Exemplum afferam, quo tota res illustrari possit. Erant ante & tempore Christi Iudæorum sectæ quatuor, Scribæ, Pharisæi, Saducæi et Essæi: Hi omnes de Lege bene sentiebant: sed eam alij aliter interpretabantur. Si quis eorum Legem negare aut impie evertere tentasset, et suos ad Iovem aut alium Deum colendum abducere, is merito pœnas dedisset. Itaque merito puniverunt eos Machabæi, qui in Iudæorum gijmnasia ritis Græcorum invexerant. Sed sectas illas ferro puniri nulla Lex jubebat, qui non impie & de industria Legem everterent, sed in Legis interpretatione errarent. Sic hodie sunt multæ sectę Christianorum, quæ omnes pie & religiose sentiunt de Evangelio, sed id alij aliter interpretantur. Si quis Evangelium, quod ante professus fuisset, plane negaret, & de Christo, aut de Deo malediceret; ac petulanter blasphemaret, pro eo loqui equidem minime vellem. Sed qui dicta Christi credens ea aliter quam

nos intelligit, eum impium religionis eversorē esse non credo: Est enim aliud impietas, aliud error. Si Calvinus fuisset Pharisæus, occidisset omnes scribas & Saducęos & Essęos, nec eos Christo docendos reliquisset. Ego vero ante adventum Christi illos non arbitror vocari potuisse hęreticos, sed postquam Christus advenit, qui ei rite monenti non paruerunt, fuerūt hęretici & pertinaces: Sic hodie tot sectas non puto debere omnes hæreticas appellari: Sed
Luc.21b. cum venerit os & sapientia, cui resistere nemo possit, huic si quis non obsecutus fuerit, eum habebo pro hæretico. Quod si Calvini sapientia talis esset, ego nunc rite contradicere nō possem: Ex quo apparet illum non esse prędictum illa sapientia. Itaque expectandus est Iudex Christ⁹, nec temere Dei juditio pręeundum, ut ipsius Calvini verbis supra positis utar.

Calvinus. 36.

A sceleratis tyrannis Ieremias ad capitale supplicium tract⁹ & in foveam projectus, ad hoc asylum minime confugit, Cultum Dei non esse gladio vindicandum: Sed diversa exceptione utitur, pœnam daturos veritatis hostes, ubi innoxium sanguinem fuderint.

Vaticanus.

Ineptissime citatur hoc exemplum, propterea quod nondum fuerat Ieremias in foveam projectus. Sed hic est Calvini lapsus memoriæ, cui facile dari venia potest, tametsi ipse aliorum errores ferre non vult. Erat Ieremias captus a Sacerdotibus & falsis Prophetis, qui ei mortem gravem inferre tentabant & conabantur,

bantur, quoniam vaticinatus fuisset contra Hierosolimam. Hinc Ieremias sic eos alloquitur: Eqidem sum in vestra manu, facite quod vobis visum fuerit. Sed hoc scitote, si me interfeceritis, futurum esse, ut vos, & hæc civitas, & eius habitatores pœnas detis sanguinis innocentis. Hic vides non agi de Religione, sed de Homicidio. Non enim eis pœnas minatur, si veritati adversati fuerint, sed si sanguinem insontem effuderint: & minatur non a Magistratu (volebant enim ipsi eum occidere, non per Magistratum) sed a Deo. Atque hoc exemplum potest nō pro Calvino, sed pro Serveto allegari. Poterat enim dicere Sacerdoti Calvino & Genevensibus: Equidem sum in vestra manu, sed si me interfeceritis, dabitis Deo pœnas homicidij. Sunt & alia apud eundem Ieremiam exempla huic loco convenientiora. De contempta veritate, sed Calvino plane contraria. Monet Ieremias Sedechiam ut se dedat Caldæis, quod si renuat, prędicit ei a Domino graves pœnas. Hic nulla mentio Magistratus. Monet Ananiam falsum Prophetam, ut desinat suis blanditijs populum decipere: Cum ille in errore perseveraret, prædicit ei mortem, sed a Domino, non a Magistratu.

Calvinus. 37.

Quid Apostoli? an expostulant cum adversarijs qui Religionem ex Legis mandato pœnis defendant? Imo sola causæ bonitate freti, nullam severitatem refugiunt, si quid peccasse deprehensi fuerint.

Vaticanus.

Neque expostulant cum eis qui adhuc circuncisionem & alias ceremonias tuerentur, quas tum Christus aboleverat: An sequitur propterea recte fecisse illos, qui legem ceremonijs defenderent? Calvinus argumentis destitutus, cum non possit dicere, aiunt, dicit, non negant, ut paulo ante de Apostolis & Prophetis: non negarunt inquit: & mox de Ieremia: Ad hoc asylum minime confugit. Hoc pacto licebit defendere errores innumerabiles: Non negarunt Apostoli orandum esse pro mortuis: non negarunt esse purgatorium: Non negarunt eundum esse ad Missam, ergo Licebit. Si haberet hic homo argumenta vera, nunquam sic ineptiret.

Calvinus. 38.

Hilarium quidem longius provehi fateor: Quæritur enim Ecclesiam carceribus & exilijs terrere, atque ita cogere ad credendũ, quæ exilijs & carceribus est credita, nimis propensam esse ad dignitatem faventium, quę persequentium terrore consecrata est: Fugare sacerdotes, quę fugatis sacerdotibus est propagata: gloriari mundi favore, quę Christi esse non potuit, nisi eam mundus odisset. Sed illi (1) Auxentij & similium ferocitas stomachum movit, ut pręsentem magis indignationem carperet (sicuti plausibile illi dabatur argumentum) quam perpetuam tuendæ fidei rationem expenderet.

Vaticanus.

Quod est in Hilario optimum, id vituperat Calvinus: Nam si Hilarij verba consideres, sunt plane divina. Atque idem Calvinus eundem Hilarium contra eundem Auxentium citat & laudat in prefatione suarum institutionum his

verbis:

verbis: *Et sane id jam summi vitij loco ducebat quia* ,,
stulta episcopalis dignitatis admiratione occupati , ,,
latentem sub ea larva exitialem Lernam non ani- ,,
madverterent . *Sic enim loquitur:* Vnum moneo: ,,
cavete Antichristum; male enim vos parietum ,,
amor cœpit: Male ecclesiam Dei in tectis edi- ,,
ficijsque veneramini, male sub ijs pacis nomen ,,
ingeritis. An ne ambiguum est in ijs Antichris- ,,
tum esse sessurũ? Montes mihi, & Sylvæ, & La- ,,
cus, & carceres & voragines sunt tutiores, in ijs ,,
enim Prophetę aut manentes, aut demersi pro- ,,
phetabant. Hæc tum Calvinus causæ suæ ser-
viens scribebat. Nunc postquam factus est E-
piscopus, vertit folium, & occupatis stulta Cal-
vinianæ dignitatis admiratione animis homi-
num, exitialem sub ea Larva Lernam nutrit. (1)
Imo Calvino audacia Serveti (qui se reprehen-
dere non dubitasset) stomachum movit, ut pre-
senti magis ultioni indulgeret (sicuti plausibi-
le illi dabatur de Trinitate argumentum) quam
perpetuam tuendæ fidei rationem ab Hilario
optime descriptam expenderet.

Calvinus. 39.

Nam quod inopem suæ virtutis Christum argui causatur, dum fidẽ terrena suffragia commendant. (1). non debet in eam partem trahi, quasi Evangelij certitudini quicquam deroget credentium authoritas, vel Religio vilescat Regum patrocinio adjuta: sed in eos tantum querimonia dirigitur. (2). qui Dei verbo destituti. (3). manu armata perversos errores sustinebat.

Vaticanus.

 Tamen

Esdr. 8. 22. Tamen Esdras cum ex Babilonia rediret, nullũ a Cijro rege præsidium postulare voluit cõtra hostes, quod diceret, domini in præsidio tutos esse omnes, qui eum rite invocarent. Et apud
Esa. 63. 3 Esajam Christus dicit se solum calcasse torcular, nullo sibi de populis auxiliante (2) Non minus habebant Dei verbum quam Calvinus: Erant enim Christiani ut tu. (3) Nam si veritatem haberes, daretur tibi os & sapientia, cui resistere nemo posset: Sed de infirmitate verbi tui conscius, advocas armatam manum.

Calvinus 40.

Ibidem hodie deflere licet statum Papalis Ecclesiæ non nisi vi & cædibus suffultum esse, omisso Pastorum officio (1) tyrannicis solum edictis fulminare, qui se præsulum titulo venditant: (2) cum vera & genuina Christi Ecclesia ex persecutionibus orta, sub ijsdem floruerit.

Vaticanus.

Et hæc scribit Calvinus manib⁹ adhuc Serveti sanguine cruentis, qui nisi se tyrãnicis edictis tueretur, & præsulis titulo venditaret, non posset stare adversus eos, quibus notus est. Nã pastoris officium non aliud novit, quam illi ipsi quos accusat. Libet hic edictum ponere Magistratus Genevensis, cuius authoritate muniuntur Institutiones Calvini, Fuit autem edicti causa hæc, Fuit Genevæ quidam civis nomine Trouillet, is in Calvini Institutionib⁹ ausus est quędã reprehendere: Hanc ob causã in jus vocatus est: Postquã diu litigatum est, fit senatus-

consul-

consultum gallico sermone in hæc verba:

Estans ouys en conseil & savans Ministres de la parolle de Dieu. Maistre Guillame Farel & Piere viret, & apres eux spectables Maistre, Iohan Calvin & maistre Iohan Trouillet en leurs dires & reproches souvent debatues, de l'Institution Chrestiene du dict monseur Calvin, & le tout bien consideré le conseil arresté & conclu que toutes choses bien oyes & entẽdues a prononcé & declaré le dict livre de l'Institution du dict monsieur estre bien & sainctement faict sa doctrine estre saincte doctrine de Dieu, que lon le tient pour bon & vrai ministre de ceste Cité, & que de ici a l'avenir personne ne soit osé parler contre le dict livre ou la dicte doctrine. Commandans aux pareilles & a tous se doivent tenir a cela. Le Merquedi, que fut neufieme de Novembre. L'an mille cincq cens cincquante et deux, hoc est.

Cum auditi essent in Senatu spectabiles doctissimique ministri verbi Dei Magister Guilhelmus farellus & Petrus Viret⁹, & post eos spectabilis magister Iohannes Calvinus, & Magister Iohãnes Trouilletus in suis dictis & objectionibus jam sępe disceptatis super Institutione Christiana ipsius Domini Calvini, omnib⁹ bene consideratis Senatus fert & decernit in hũc modum, Omnib⁹ rite auditis & intellectis Senatus pronunciavit & declaravit, pronunciat & declarat eum Librum Institutionum superius nominatũ Domini Calvini esse bene & sanctę factum, eiusque doctrinam esse sanctã doctrinam

trinam Dei, ipsumque authorem haberi pro bono & vero Ministro huius Civitatis. Itaque edicitur ut deinceps nemo audeat loqui contra eum librum, & doctrinam eius. Mandatur ambabus partibus & omnibus, ut hoc decreto stent. Datum die Mercurij quod fuit nona Novembris Anno milesimo, quingentesimo quinquagesimo secundo.

Perpende Lector hoc scriptum, videbis quibus armis munita sit hui⁹ hominis doctrina, & quam indignum sit eum in Papistas invehi, cum ipse faciat eadem (2.) Et Genevensis Ecclesia qualis fuit ex persecutionibus orta, sub ijsdem floruit duce farello. Nam tum vigebat Genevæ nonnulla Charitas. Sed nunc postquam ipsa se Calvinianis armis, hoc est ferro tueri cœpit defloruit maturo fructu, versumque est eius argentum in scoriam.

Calvinus. 41.

Verum non obstant persecutionum gladij, quo minus suis sceptris pij Magistris ecclesiam, quę injuste afflicta olim fuit, tueātur. Nec martijrum cruces impediunt, quo minus justo Legum præsidio, ad Deum tranquille colendum fideles juventur. Vaticanus.

Si te armis Servetus oppugnasset, recte a Magistratu defens⁹ fuisses: sed cum scriptis oppugnaverit, cur contra scripta ferro flammisque pugnasti? Hoccine vocas defensionem pij Magistratus? Nullane apud vos alia pietas est quam rapere in ignem peregrinos, istac sine vllo tumultu transeuntes? & audes in Papistas invehi? Ostende apud Papistas vllum Lutheranum aut Calvinianum esse raptum ex Missa in carcerem,

carcerem,sicut Servetus apud vos ex concione.

Calvinus 42.

Prudenter enim Augustinus(1)Imperatores, inquit,si in errore essent (quod absit)pro errore suo contra veritatem Leges darent, per quas Iusti & probarentur & coronarentur,non faciendo quod illi juberent,quia Deus prohiberet: Sicut jusserat Nabuchodonosor ut aurea statua adoraretur, quod quia facere noluerunt, Deo prohibenti placuerunt. Quando autem Imperatores veritatem tenent, pro ipsa contra errorẽ jubent, quod quisquis contemserit, judicium sibi accersit. Nam & inter homines pœnas luit, & coram Deo sortem non habet, qui hoc facere noluit, quod ipsa veritates per cor Regis iussit: Sicut ipse Nabuchodonosor postea miraculo commotus atque mutatus pro veritate contra errorem edictum proposuit.

Vaticanus.

Prudenter, ne dicam malitiose, dissimulat Calvinus Locos Augustini, in quibus loquitur contra persecutiones,& totum hunc Calvinianismum damnat. Libro 3. contra Cresc: Item de fide & operibus Cap. 5. Et epistola 158. & 159. ad Marcellum & 150 ad Appen. & in Libro quæsti: Evangelij secundum Math. Cap. 13 & contra Epistolam Manichei, alijsque locis. Hi omnes loci Calvino nullius sunt momenti: Ibi ei fuit Epicureus aut Lucianicus Augustinus, aut certe Imperitus. Atque hic est sane istorum hominum mos, ut ex ijsdem authoribus alia damnent, alia laudent arbitratu suo, sed ea potissimũ

dam-

damnent, quæ sunt clementiæ Christianæ convenientiora, ut intelligatur ipsos ab omni misericordia abhorrere. Sed tamen perpendamus Augustini dictum: est enim Calvino plane contrarium.(1). Erunt autem multi in
Luc. 18. 8. errore ultimis temporib⁹, ut Christus ostendit, qui dicit se non inventurum fidẽ in terris cum
2 Timot. 3.1. veniet. Et Paulus dicit, ultima tempora fore pessima. Et Iohannes in Apocalypsi, qui dicit
Apoc. 17 14. adorari a Regibus bestiam & denique oppugnari agnum. Plurimi sunt tales Loci in sacris Literis: Itaque dabunt Imperatores & Magistratus ultimis, hoc est nostris temporibus Leges pro errore contra veritatem: Et Calvinus cum eos ad persequendum inflammat, nihil facit aliud quam eos contra veritatem armat, putant enim omnes se tenere veritatem.

Calvinus. 43.

(1) Qui regulam ex puro Dei verbo petunt, rite & ordine ab illis Religio colitur.(2). Si quis sibi cultum fabricat pro arbitrio, vel fortuito, quod ab alijs temere commentum est arripit, quo magis satagit, eo se majore reatũ constringet, quia nihil laudis meretur superstitio.

Vaticanus.

(1) Hoc faciunt omnes sectæ. Dicit Calvinus omnes errare preter suam. Sed quis nobis eum Iudicẽ dedit? Cur non expectatur Iudex Christus? (2) hoc facit ipse Calvinus in suo die Mercurij, canendis psalmis certis diebus & alijs ceremonijs. Non reprehendo ordinem, sine quo contineri non potest multitudo. Sed scio quam superstitiose hæc serventur.

Calvi-

Calvinus. 44.

(1) Si verus & legittimus Dei cultor, quatenus feret eius vocatio, pro fidei suæ defensione pugnabit, incredulos cœca (2) rabies arripiet.

Vaticanus.

Scilicet armis suis, Iustitia, fide, patientia, cęterisque virtutibus, quæ arma Christianis tribuit Paulus. At Calvinus ferrum. (2) Si hominem Christi nomen invocantem, & nullius facinoris non modo convictum, sed ne accusatū quidem, torrere flammis non est cœca rabies, nulla potest esse cœca rabies. Ephes. 6. 1. Thess. 5. 8.

Calvinus. 45.

Ita in Papistis stultum & scientia vacuum Zelum, qui eos precipitat, merito damnamus, non minus scilicet quam insanas superstitiones, quib⁹ fascinati, superbe Dei verbum conculcant.

Vaticanus.

Cur ab eis torrere homines didicisti? An te morem istum a Christo didicisse dices? Dic unde didiceris?

Calvinus. 46.

Si pręposteri zeli vitium ex ignorantia manat, cur non laudabilis, erit ille zelus, qui non fortuito raptat. 1. Dei filios, sed ad fidem, quæ illis solide testata est, 2. asserendam inflammat?

Vaticanus.

Si Dei filij essetis, Dei opera faceretis. Sed homines non interficiendos interficitis. Hoc nunquam fecit Dei fili⁹ (2) fidem suam asserere non est hominem cremare, sed potius cremari. Qui perseveraverit usque ad finem, inquit, salvus erit: Quomodo? Persequendo? Imo patiendo. Hec est vera, sed Calvino ignota fidei assertio Matth. 10. 22.

Cal-

Calvinus. 47

.1. Denique sicut inter martyres & blaspbemos in pœnę similitudine, culpa tamem discrimem statuit; (2) sic pios & rectos Zelotas cognitio; Iniquos & perversos temeritas & cœcus impulsus facit.

Vaticanus.

Itaque discrimen est inter Raimonetum, qui propter horrendas & indubias in Deum blasphemias Genevę securi percussus est: Et Servetũ, qui de Deo quam potuerit optime scripserat, & si quid male scripserat, errans fecerat, sicut ipsemet farellus ad populum, orante ante rogum Serveto, testat⁹ est. Nec non ipse Calvinus, qui in huius Libri titulo errores appellavit. Neque Raimonetus dixit unquã, se errantem fecisse, nec suas blasphemias unquam defendit, ex quo apparet, quantum sit discrimen inter eum & Servetũ (2) Ita est. Pios autem zelotas instruit Christus cum dicit: Nescitis cuius spiritus sitis. Filius hominis non venit ad perdendum, sed ad servandum. At Lupus non venit nisi ut mactet.

Calvinus. 48.

Trahetur ad supplicium, qui figmentum esse contendit, quicquid sacris oraculis proditum est, Quis tale monstrum honorifico martyris titulo ausit ornare? Nempe ut ipse Agustinus recte definit: Martijrem facit causa, non pœna.

Vaticanus.

Hic homo vult eos, quos ipse pro hæreticis habet, hac invidia gravare & invisos reddere, cum nemo plus tribuat sacris oraculis, quã qui vulgo pro hæreticis habentur. Nam qui negãt

sacras

ſacras Literas, ij non hæretici,ſed infideles & impij habendi ſunt, De quibus nos hic non agimus.

Calvinus. 49.

Ergo hic tenenda eſt prudentia & moderatio, ne vel pro cauſa(1)incognita tumultuoſe efferveatur principes,vel(2)inani ſævitia ad ſanguinem fundendum ruant.

Vaticanus.

(1) Scilicet non fuerint incognitæ cauſæ propter quas Servetus perijt, De Trinitate,de Fato, de Libero arbitrio, & cęteris,cum de eis ambigat & diſputet totus mundus. Sed Calvino nihil eſt incognitum. (.2.)Si hominem vivum, maleficij ne reum quidem,viridi ligno torrerre immanis ſęvitia non eſt,oſtende quid ſit ſęvitia.

Calvinus 50.

Veteri proverbio audax inſcitia vocata eſt: ſuperſtitionis vero mira eſt tam audacia, quam crudelitas.

Vaticanus.

Ita eſt: & audacia & crudelitas apparet in interficiendis ijs,quos Deus vetuit interſici.

Calvinus. 51.

Itaque videmus nihil hypocritis,cum ſuæ inſcitię & erroribꝰ ſecure indormiant,magis eſſe ſanguinarium. Nec vero fieri aliter poteſt,quin patris ſui ingenium referant increduli omnes, qui & homicida fuit ab initio & mendacij pater. *Ioha. 8.*

Vaticanus.

Ego hæc in Calvinum ſcripturus eram, niſi ipſe me prævenißet. Videtur hæc ſcripſiſſe ſanguine Serveti.

Calvinus 52.

Veris autem Dei cultoribus ab vtroque vitio cavendum, ne vel eius incognitæ patrocinium temeræ arripiant, vel ad severitatem intemperanter ferantur.

Vaticanus.

Veros Dei cultores putat Magistratus suos, per quos inimicum suum vltus est. Sed Deus novit omnia.

Calvinus 53.

Nam si in terrenis causis, omnium probris merito traducitur judicis socordia, qui (1) ex aliorum opinione, ignarus ipse totius rei, sententiam fert: quanto minus ferendi sunt, qui in causa pietatis, inquisitionem (quæ privatis etiam quibuscunque precipitur) supino fastidio negligunt?

Vaticanus.

1. Sicuti Genevensis magistratus ex opinione Calvini Servetum judicarunt, ipse ignari totius rei, quippe homines illiterati: Id ostenderunt in litteris quas ad Ecclesias scripserunt, in quibus dixerunt, se de pastorum suorum fide non dubitare.

Calvinus. 54.

Itaque detestabilis est illa, quæ in Papatu dominatur barbaries: nec vero horribile Dei judicium effugiet. Ad sunt parati martyres ad reddendam ovium rationem si liceat. Adeo ex verbo Dei (1) nulla conceditur defensio, vt (2) actionis principium sit, nullam disceptationem admittere.

Vaticanus

1. Imo conceditur: sed sicut Serveto: videlicet ea conditione ut pereundum sit, nisi recantetur

tur. 2. Et tuæ actionis principium fuit carcer, & nullum vel Serveti amicum, vel saltem non inimicum ad disceptationem admittere. Testis Grybaldus a te tam superbe repudiatus.

Calvinus. 55.

Itaque ansa rationibus præcisa, miseros homines (1) non auditos (2) excarnificant diris tormentis: postea linguis (3) exectis ad ignem extrudunt, non qui sua flamma eos statim absumat, sed lenta ustulatione conficiat, quo se mori sentiant, ut dicebat tyrannus ille. Exemplar sane illud est cum beluini stuporis, tum immanis sævitiæ.

Vaticanus.

1. Imo auditos quanquam quid refert, utrum audiantur an non audiantur? Cum sint in manib⁹ iniquorum judicum, a quibus nil nisi mors expectari possit: sive recte dicant, sive secus, ut cum Serveto factum est, qui non nisi ab inimicis suis audit⁹ fuit, hoc est, a Calvino & helvetijs, qui debebãt ipsimet esse rei, non judices, cum Servet⁹ contra eos omnes scripsisset. 2. idẽ facere probabant Genevenses Serveto, si verũ audivi, Cum enim de Libro & de omni veritate sua sponte confessus esset, admota est insuper Gehennam (sic vocant illi patrio sermone tormentum) & excarnificatus fuisset, nisi intercessisset Petrus Vandalus senator, & idem Calvino summus inimicus: Vt intelligatis eos qui sunt paulo clementiores non posse esse Calvini amicos (3) Gloriatur hoc nomine Calvinus, quod Serveto Linguam non absciderit. Sed vitam abscidit & Libros combussit, ne possit Servetus, saltem Libris post mortem causam dice-

re toto orbe terrarum. Sed Calvinus suum de Serveto juditium puta tratum omnib⁹ esse debere, nec amplius inquirendum esse, postquam magister noster ipse dixit. At cur libros combussit? Metuebat credo ne homines corrumperentur. Cur idem non metuerat antea in *Interim*, quē librum ipsemet Genevę curavit imprimendum, cum suo adversus eum scripto? Cur non idem fecit in Serveto? Nisi quod Servetus Calvinum magis detegebat quam *Interim*. Quod si dicet se non potuisse extinguere *Interim*: Cur id saltem ex urbe sua non excludebat? Cur alios perniciosos libros Genevæ vel imprimi vel vendi non prohibet? Ibi licet habere Aristotelem, qui negat primum & præcipuum articulum fidei de Creatione mundi: Licet Alcoranum, Apuleium, Martialem, Plautum, Terentium, Horatium, Catullum, Tibullū, Propertiū & cęteros morū corruptores nefarios: licet Ovidiū de arte amandi, hoc est adulterandi, & eius imitatorem Clementem Marotum. Venerat ante aliquot annos quidā ex Gallia Genevam: Is ad quendam amicum suum sic scripsit: Emigravi ex Babylonia: Mitte mihi omnia opera Ovidij cum commentarijs. Babyloniam vocant ipsi Papatum. Quid vis est illis Hierosolima. Quid dicam de ijs, quæ ibi imprimuntur nugis? Zographia Besę & eiusdem Epistola Passavantij, de morte uxoris Vireti, qui libelli nihil aliud sunt nisi scurrilitates & nugę. Sed isti scurrilitates pro peccato non habent: Sedent enim in cathedra derisorum. Tales libros cum in sinu circunferant comburunt libros Serveti. Cur? Nisi ut non dete-

gantur

gantur, sed impune, dicant & faciant quidlibet. Metuunt hominum oculos, & Dei omnia hęc spectantis oculos contemnentes. 3) Describit mortem Serveti, & alios deprehendit tyrānos. Soli enim sibi & suis hęc licere credit.

Calvinus. 56.

Recteque etiam in hac parte Augustinus: Si terreantur inquit, & non doceantur, improba quasi dominatio. (1). Videbitur. Sed rursus si docentur & non terrentur, vetustate consuetudinis obdurati, ad capescendam viam salutis pigrius surgent. De convictis hęreticis loquitur, qui superba tantum morositate inducti discessionem ab Ecclesia fecerant.

Vaticanus.

Et nos terrendos censemus, sed ijs armis, quibus Paulus de justitia & continentia, & futuro Iudicio differens prætorem fœlicem terruit. Verum hanc Calvinianam terrendi rationem ignorarunt omnes Apostoli, habetque Calvinus plus quiddam quam illi. Act. 24.

Calvinus 57.

Quid ergo dicturum fuisse putamus, si pios & simplices unius Dei cultores crudeliter vidisset hac tantum causa vstulari, quia hominū figmentis clarum Dei verbum opponerent?

Vaticanus.

Certe non probasset.

Calvinus. 58.

Neque enim Papæ incendiarijs sœviendi alia ratio est, nisi quod fictitijs suis legibus quicquam derogari non sustinent.

Vaticanus.

Sanxerunt illi fere primum suas leges sangui-

 ne

ne in Ioannem Hus, in Concilio Constantiensi, cum jam multa secula regnassent: Hic idem, cum vix dum regnare cœpisset: Qualis erit decimus a Calvino? Et postea alios damnare non erubescit. Calvinus. 59.

Sed eos oppressa doctrinæ luce, tam impotenter furere mirum non est, quorum dominatio in confusis verbi Dei ruinis fundata est, & quibus spes victoriȩ non nisi in tenebris sit sita.

Vaticanus.

Atque idem facit Calvinus, qui aliorum Libros comburit, & loquendi libertatem violenta manu eripit, ne eius nefarij conat⁹ pateſiant, quippe cui spes victoriæ, non nisi in tenebris sit sita. Calvinus. 60.

Longe aliter Ecclesia Dei, quæ ut fidei suæ confessionem ex ore Dei petit, ita ad eandem regulam n praepostere feratur, zelum suum temperat. e Vaticanus.

Vt Discipulos suos docuit Christus, cum vellent ignem de cœlo evocare exemplo Heliæ:
Luc, 9. Nescitis inquit, cuius spiritus sitis, filius homi-
55. nis non venit ad perdendum, sed ad servandũ. Verum hanc zeli temperationem Calvinus non ponit. Calvinus. 61.

Nobis igitur quin servanda sit exacta tum prudentia, tum mansuetudo, nulla dubitatio est: Deinde quin Iuditio præire debeat placida & religiosa doctrinæ cognitio.

Vaticanus.

Qualis servata est in Serveto, qui simulac conspectis die Dominico, ex concione tractus est in carcerem, unde postea nuuquã exivit, nisi cum ad ignem ductus est. Hec est calvini-

ana

placida illa et religiosa doctrinæ cognitio.

Calvinus.62.

Sed hoc minime obstaculo est, quin Magistratus officium sit gladio et pœnis coercere qui cum ipsi sint apostatæ, a recta fide alios ad defectionem sollicitant, et in Deum contumeliosi, miseras animas illaqueant, suis fallacijs: pacem conturbant (1) Ecclesiæ et pietatis consensum scindunt ac lacerant.

Vaticanus.

Promiserat Calvinus se Loquiturum de pœna hæreticorum: Multa deinde locutus est de errantibus, & impijs & blasphemis, quasi errantes, impij blasphemi, Apostatę & hęretici sint ijdem Ac ne quis discrimē videre & Calvini fallaciā possit animadvertere, nusquā definit quid sit hæreticus. Ita nobis jocose illudit in re tam seria. Iam quod de Apostatis dicit, maledicit. Apostata enim in sacris literis dicitur, qui ad aliū Deum deficit: Hęreticus vero qui eiusdem Dei cultum retinens, alicui falsæ sectę aut opinioni pertinaci⁹ inhęret. Hęc duo confundere vult Calvinus, ac ne sic quidem assequitur propositum. Nam si Apostata dici debet, qui a recta fide alios ad defectionem sollicitat, & ab ea ipse jam defecit (alioquin Apostata dici non debet, sicuti Iudæus a Christo Apostata non est, cum in eum nunquam crediderit) Servetus nunquā a Lutheranismo aut Calvinismo defecit. Semper enim eis adversatus est. Quod si fuit Apostata, sicut Calvinus velle videtur (sumsit enim ab eo huius disputationis occasionem) oportet Papæ fidem a qua Servetus defecerit, esse rectam; Ita erit ipse Calvinus

Quid sit Apostata

Quid sit Hæreticus.

ex sua sententia comburendus, quippe qui a Papa defecerit (.1.) Ecclesiam vocat Calvinianismum, nam cęteras pro Ecclesijs non habet.

Calvinus. 63

Quas tamen obtendant rationes imperiti, sed non mali homines, quibus tanto sceleri danda videtur impunitas breviter videndum est. Regnum suum, inquiunt, manu & armis cōstitui non voluit dominus, sed spirituali Evangelij gladio: & suos hortatus est ut parati essēt proprium sanguinem fundere, ut alienum funderent nusquam præcepit: Apostolos tanquam agnos in medio Luporum emisit, non instruxit carnis potentia. Atqui si contra excipiam, Nusquam Dominum mandasse suis, ut furta, rapinas, adulteria, cædes, væneficia puniant, ideoque impune ferenda esse hæc omnia, quid dicturi sint? Concedentne laxandas esse habenas sceleratis? Ac non potius dicent non obstare quæ singulis præcipitur tolerantiam, quo minus vigeant Legum sanctiones?

Vaticanus

Cum furta, rapinæ, adulteria, cædes &c. puniuntur, non puniuntur ad constituendum Regnum Christi, non ad justificandos, aut pios reddendos homines, non ad generandam novam creaturam, sed ad tuenda bonorum corpora aut facultates. Itaque Papistis, Iudæis, Turcis, cæterisque, quos putat extra regnum Christi, concedet ipse Calvin⁹ punire eiusmodi facinora: At propter fidem punire aliquem non concedet, cum supra dixerit, hoc non nisi pio & bono Magistratui licere, Itaque non de-

debent hic omnia confundi, sed suum cuique tribui, & cœleste regnum a terrestribus distingui: Christus ea quę sunt extra regnum suum, non attingit. Sed quę ad regnum suum attinent omnia tradit. Itaque omnia ab eo petenda sunt. Sed de his postea plura.

Calvinus.64.

Verum quidem esse fateor, neque vi armata erectum ab initio fuisse Christi regnum, neque armorum præsidio stare. Evangelij enim prædicatione regnare Christum oportet, ut impleatur vaticinium illud: Populus quē non noverā mihi subiectꝰ fuit: Ad auditum auris obedivit mihi. Itaque dominꝰ, quo illustrior esset, vocis suę efficatia, nudos & inermes misit Apostolos, nec modo destitui voluit terrena potentia, sed totum fere mundum habere infestum, ut Celestem esse Evangelij victoriam omnibus constaret, dum instar palmæ contra tot tamque ardua obstacula emersit. Nec vero aliter hac ętate, quam invito & reluctante mundo vel denuo surrexit, vel adhuc floret. Sua igitur virtute, non hominum manu sustinetur Religio(1) Nec frustra Evangelij ministros potentia magis armat Christus, quā Bellandi facultate, quia sic animatos esse convenit, ut quam lingua asserunt doctrinam, proprio sanguine, quoties opus fuerit, obsignare non dubitent.

Vaticanus.

Hęc vere dicuntur: utinam in his perseveraret(1) Est ita, si de vera Religione intelligas: sed vestra Religio hominū manu sustinetur. Tolle enim vestri Magistratus, violentiam & persecutiones, & redde loquendi aut scribendi liber-

tatem, quam a Paulo traditam (potestis enim (inquit) omnes prophetisare) vos sustulistis, & videbitis quid possit libra veritas Quod si hoc negas, fac periculum, eventus judex esto. Hoc tu ispe persentiscere videris, qui tam sollicite caves, ne alijs loqui aut scribere liceat: quod profecto nunquam faceres nisi hominum manu stares.

Calvinus, 65.

Primum veræ sanæque doctrinæ plerumque adversantur mundi principes.

Vaticanus.

Itaque armati hac Lege Calvini, eos qui veram sanamque doctrinã tenebunt, interficient.

Calvinus, 66.

Deinde multos quibus ad breve tempus arrisit, suo rigore exasperat.

Vaticanus.

Non est ergo doctrina Calvini sana. Nam & ego expertus sum, & multi quotidie experiuntur, adeo nullam esse rigorem in ea, ut nulla sit in terris lætior. Itaque qui a Papa ad Calvinum deficiunt, levari se, non gravari sentiunt: multoque facilius ferunt doctrinam Papæ Genevensis, quam Romani.

Calvinns. 67.

Pauci sunt qui ferendo jugo libenter cervicem submittunt, & quemadmodum delitias sibi ipsi faciunt, ita. 1. Doctores appetunt blandos & mellitos, qui serviliter adulentur.

Vaticanus.

Itaque cum suffragijs res agitur in Religionis causis, sicuti in Servetana acta est, maior pars vincet meliorem, & pauci illi semper

pluri-

pluribus vincentur (.1.) Quinam blandi sint doctores, facile judicabit, qui utramque videlicet blandorum & severorum viam gustaverit.

Calvinus. 68.

Iam videmus, quod non ęqualis sit principum successio, sed bene compositum a patre ecclesię statum, filius quasi violenta procella repente subvertat.

Vaticanus.

Itaque etiamsi hodie bene compositus esset status Genevensis, cras subverteretur, & si hodie aliquis impius hæreticus combureretur, cras pio idem fieret.

Calvinus. 69.

Atqui Evangelij ministros minime ad quamlibet auram flexibiles nutare decet, verum quocuncque inclinent hominum animi, & quamlibet dissimilis sit temporum conditio, rectum cursum tenere, ne ęterna & immutabilis Dei veritas, quę apud eos deposita est perfida eorũ ignavia concidat.

Vaticanus.

Hoc si fecisset Calvinus, non mutasset sentẽtiam de persecutione, ut cætera taceam. Quod si in melius mutasset, laudarem, sed in deterius mutasse est vitiosum.

Calvinus 70.

Sic veteres Prophetas, Licet propitijs interdum Regibus usi sint eorum præsidio adjuti, videmus tamen varijs subinde tempestatibus fuisse jactatos, ut negari non possit omnes sub crucis Christi vexillo militasse. Hoc certe seculis omnibus commune est

Homini-

Hominibus non placere, quicuncque Christo fideliter serviunt.

Vaticanus.

Atqui Homines ex Calvini sententia, erunt de causa religionis judices: Itaque eos semper damnabunt, qui ipsis non placebunt. Calvinum quidem non damnabunt: Is enim vult ut Magistratus de hæreticis judicet: Iudicant autem suffragijs, in quibus cum maior pars vincat meliorem (paucos esse bonos Calvinus supra dixit) oportet Calvinia nos majori, hoc est deteriori parti placere, quo possit Servetos opprimere, alioqui non posset.

Calvinus. 71.

Absurdum esse obijciunt, spirituale Christi regnum carnis potentię subniti, nempe ut fidem absurdum, est in humana eloquentia fundatam esse. Nunc si quis obmutessere jubeat quicumque diserti sunt, doctos omnes & Liberalibus artibus politos a suggestu prohibeat, ne fidem exinaniat eloquentia, nonne aperte Deo ejusque donis injuriam faciet?

Stultessere quidem jubet Paulus quicunque sapere videntur, ut Christi Discipuli fiant: nēpe ut sapientia carnis in ordinem coacta, emineat sola fides. Quod si nulla ratio impedit, quo minus Evangelij prędicatio tantum virtute spiritus sit efficax, & pedissequas tamen habere possit humanas artes: Ita nec Religio, tametsi sola Dei manu continetur, & sub cruce triumphat, a Legittimis tamen subsidijs, ubi ita visum est Deo, non abhorret.

Vaticanus

Absurda fallaxque similitudo, & eadem obscuro

ſcure tractata. Habet enim hoc Calvinus, ut ſi quando Lectores aut auditores fallere vult, loquitur obſcure, ut hac obſcuritate abſurditatem tegat, & ita tanquam anguilla in turbida aqua evadat Sed nos diſcuſſa hac obſcuritate, eius ſimilitudenem explicemus. Quemadmodum ille inquit, ad Docendum Evangelium adhiberi poteſt eloquentia, tametſi neceſſaria non ſit. Ita ad Religionem tuendam, adhiberi poteſt gladius, tametſi neceſſarius non ſit. In hac ſimilitudine hoc abſurdum eſt, quod religioni ferrum ſic jungit, ut doctrinę eloquentiam. Enimvero non ſic ad Religionem adhibetur ferrum, ut ad doctrinam oratio, Sine oratione doceri non poteſt, at ſine ferro religio conſtat, nec magis gladium requirit, quam divitias aut aratrum. Alioquin ad imitationem Calvini ſic liceret ratiotinari: quemadmodum a medico adhiberi poteſt eloquentia ad perſuadendum egroto, Ita gladius ad tuendam eius valetudinem. Hæc ſunt abſurdiſſiima, Sed hic homo tantopere ferrum cupit, ut id omnibus rebus intermiſcere geſtiat. Nos vero ſimilitudinem longe accommodatiorem aſferre poſſumus: Quemadmodum ad præliandum gladio opus eſt, neque refert utrum is politus ſit an rubiginoſus, modo ſit acutus: Ita ad Docendum Evangelium opus eſt oratione, neque refert utrum ea incompta ſit an ornata, modo ſpiritus acumen habeat. Et ſic ut prælia ferro non verbis, tractantur: Sic Religio verbis non ferro tractanda eſt,

Calvinus. 72.

Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut sapientes confunderet: verum qui a piscatoribus exordium fecit, postea alios sibi delegit (1) ministros, neque ita rudes & elegantiori doctrina tinctos. Vaticanus.

Quæ stulta sunt mundi rejecit Calvinus cum suis, ut sapientes extolleret: Itaque ad docendi aut concionandi min⁹ neminem admittunt nisi scientiarum & linguarum peritum, præsertim Latinæ. Ipse Christus si veniret, nisi latine loqueretur, ab istis non admitteretur. hoc certũ est. Fuit quidam Lausaniæ concionator, vir inculpatæ vitæ, sed qui Latine nesciret: hunc isti cocgerunt ad audiendũ Corderium pueros latinam linguam docentẽ. Homo jam natu grandior, non ferens hanc indignationem, discessit. Tantum istis in latino sermone positũ est. Denique si componas eos cum Christo, invenies prorsus contrarios. Christus patri gratias agit, quod arcana sua celaverit, & sapientes & doctos, & ea parvulis & indoctos patefecerit: isti gratias agunt, quod ea parvulos & indoctos celaverit, & sapientibus patefecerit. Christi ecclesia gloriatur, quod non multos sapientes, non multos nobiles hebeat: isti solis sapientibus & nobilibus gloriantur (.1.) De doctoribus illis loquitur, qui constructam a piscatoribus ecclesiam destruere cœperunt: Nam postquã artes humanę ab illis cũ Theologia misceri cœperunt omnia deinceps in deteri⁹ abierunt, vanę & inutiles quæstiones (vetante Paulo) inductæ sunt, quibus casta illa veritas adeo implicatur & obscuratur, ne dicam extincta est, ut restitui non possit, nisi ad eosdem piscatores & indoctos re-

Mat. 11. 15.

2. Tim. 2 16.

de-

deatur, ut verum sit illud: ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem. Hujus rei exẽplum videre est in ipsomet Calvino. Farellus in principio Evangelium magno ardore docuit, authores prophanos tanquam pestẽ rejecit, Poëtam si quem nactus erat, tanquam stercus abijciebat, ab ulciscenda injuria adeo alienus erat, ut cum gravissimas plurimasque injurias ob Evangelium pertulerit, nunquam quemquam in jus vocaverit, quin imo suos vicẽ suam ulciscentes semper deterruerit. His ille artibus in fugandis erroribus, serendaque charitate proficebat. Sed postquam Calvinus introductus, profanas scientias sacris admiscuit, ulciscendarum injuriarum mille tectos Christi veste modos excogitavit, adeo in deterius abierunt, ut ipsemet Farellus (heu dolor) jam calvinizet, & vitia ab eo didicerit, quem virtutes docere debuerat: Tantas vires habuit illa falso nominata scientia, ut Pauli verbis utar. Denique quo plus semper tributum est humanis & prophanis scientijs, eo longius a divinis & sacris deerratum est. Et qui tam studiose eas colunt, & ad eã rem collegia instruunt & tuentur, nihil aliud quam milites armant adversus simplicem illam rusticamque veritatem. Sed instruant quãtum volent, faciet Deus quod olim fecit, ut immanem illum prodigiosum Goliam armatus nomine Dei David funda deijceat, & ei caput ipsiusmet ense prędicat. Psal. 8.

Calvinus. 73.

Quin etiam Paulus ipse, qui se facundia destitui fatetur, non omnis doctrinæ expers, ut alij ejus collegę, sed a puero in Lege (1) eruditus

tus fuerat.

Vaticanus.

(1) Recte in Lege, sed vos prophanatas scientias evehitis, Quanquam quod tu de Paulo dicis, contra te est. Nam ea litteræ doctrina inflatus veritatem longe acrius insectatꝰ est, quam alioquin fecisset. Itaque postea veram sci-
Philip. 3. entiam, hoc est Christum & charitatem adeptus, illam literæ cognitionem pro stercore habuit, quam nunc Calvinus extollit.

Calvinus. 74.

Vt autem de successoribus taceam, Isaiæ sermo non modo purus & nitidus, sed etiam artificio (1) ornatus, satis testatur eloquentiam fidei interdum ministram esse.

Vaticanus

(1) Non est ita: non enim artificio ludit humano more spiritus ille fatidicus, nec humana voluntate aut arte, sed S. Spiritus impulsu locuti
2. Petr. 1. 2. sunt sancti homines Dei. Fuit igitur in Iesaia nativa, non arte quęsita eloquentia, quæ ab ea, quam isti affectant tantum differt, quantum honestæ matronę pulchritudo a meretricis fuco. Sed volunt isti miscere sacra prophanis. Sic fecit antea Sebastianus Castalio qui in prefatione in Mosem suum latinũ, Mosi tribuit omnes artes, quas homero tribuerat ante Plutarchꝰ, & ad id magno apparatu, quasi pręclarum aliquid facturus utitur: quasi vero non scripserit impulsu divino Moses, nulla prorsus ullius artis habita ratione. Sed homines leves omnia trahunt ad institutum suum, & ut humanas artes (quarum sunt discipuli) evehant, eas sacris authoribus admiscent ut tanquam le-

thales musce odoriferum sacri eloquij unguentum contactu suo inficiant.

Calvinus. 75.

Et certe Christus non minus stellę radijs (1) magos ad se duxit, quam pastores angeli voce.

Vaticanus.

(1) Et Calvinianos duceret, si se dignarentur ita demittere, ut in stabulum descenderent. Non enim Doctos sed superbos aspernatur Deus. Sed quia superbia fere laborant docti (nam scientia inflat) fit ut pauci docti serventur. Erunt quidem nonnulli ex doctis qui sese ad Christi præsepe demittent, quales fuerunt Magi, cæteris eum despicientibus, quales fuerunt Scribæ & Pharisęi. Sed pastores & illiterati primi plurimique erunt, quibus angelus Christi natales nunciet, cum tamen isti illiteratos nullo numero habeant, Nam si quis pastor aut illiteratus eis nunciatum aliquid de veritate veniret, certo scio, non magis moverentur, quam si asinus ruderet.

Calvinus.

Quare nec rude obscurumque vulgus ex quo sumsit Christus ecclesię primitias (1) viam regib⁹ præclusit, quin ipsi quoque & se & sua omnia ei offerrent, & ipsa etiam gladij potestas a qua instructi sunt sacra esset oblatio.

Vaticanus.

Tradit Paulus Christum cum ascendisset in altum dedisse Apostolos, & Prophetas, & Evangelistas, & Magistros ad conponendos sanctos, ad operis ministerium, ad extructionem corporis Christi, hoc est, Ecclesiæ: Hæ sunt sacræ oblationes ad hoc sacrum opus. Gladius

Contra Monasterienses Anabaptistas.

quidem ad Christi regnum non abhibetur, nisi ad occidendum Christum & suos. Sunt quidem qui gladium gerunt, ministri Dei, sed ad puniendos maleficos, non ad extruendũ Christi regnum. Atque id Christianis commune est cum cęteris nationibus, quę & ipse eundẽ gladium gerunt neque tamen Christi regno serviunt.

Calvinus. 77.

Nunc videmus ut ad ferendam crucem, ad odia, probraque mundi subeunda paratos esse oporteat Evangelij ministros: Sicuti non alijs quam patientiæ armis dominus eos instruxit: & tamen jubeantur Reges pietatis (1) doctrinam suo patrocinio tueri.

Vaticanus.

(1) Hominem occidere, non est doctrinam tueri, sed est hominem occidere. Cum Genevenses Servetum occiderunt, non doctrinam defenderunt, sed hominem occiderunt. Doctrinam tueri non est Magistrat⁹, (quid gladio cum Doctrina?) sed doctoris. Doctorem autem tueri est Magistratus, sicut agricolam & fabrum & medicũ & cœteros contra injuriam tueri. Itaque si Calvinum occidere Servetus voluisset, recte Calvinum defendisset Magistratus. Sed cum rationibus & scriptis Servetus pugnaret, rationibus & scriptis repellendus erat.

Calvinus. 78.

Objiciunt deinde nihil minus esse consentaneum, quam ad fidem (quæ propensa obedientia constat) violenter cogantur homines. Ego ut omittam quę vere & scite in hanc sententiam disputat Augustinus utiliter, scilicet in vitos trahi, qui Deo omnipotenti reluctantur ut

castiga-

castigatione subacti, sponte accedant, respondeo in tuendo Ecclesiæ statu alium esse gladij usum, quam ut ad fidem quis cogatur.

Vaticanus.

Nemo potest ad me venire, nisi pater meus traxerit eum. Isti volunt a Magistratu trahi homines, trahenti Deo reluctantes, scilicet ut Magistratus plus efficiat quam Deus. Scilicet castigatione subacti sponte accedent: Qui si sua sponte accederēt, deterrerentur: sicuti pisces, qui ultro ad escam aut rete accedunt, si cogere velis aufugiunt, Testis est Geneva & Sabaudię pars, quæ Evangelium vi coacta admisit. Ibi enim ita pauci sunt, qui non concionatores capitaliter oderint, & missam avidissime desiderent, ut dictu sit incredibile. Testor ego totum illum populum. *Ioan. 6.*

Calvinus. 79.

Nam ut demus in principum manu & arbitrio non esse, edictis suis penetrare in hominū corda, ut obedienter salutis doctrinā amplexi, Deo se subijciant. Hoc tamen postulat eorum vocatio (1) ne impuris ac petulantibus linguis lacerare permittant sacrum Dei nomen, eiusque cultum pessundari sinant.

Vaticanus.

Modo laudaverat Augustinum, qui disputat utiliter invitos trahi, ut sponte accedant, nunc sui oblitus fatetur edicta Regum non penetrare in hominum corda, ut obedienter doctrinam amplexi, Deo se subijciant quæ sunt plane contraria: Nam sponte accedere & obedienter doctrinam amplecti, idem est,

 (1) Dicun-

(1) Dicuntur hæc accusatorie & malitiose. Non enim continuo impura & petulanti lingua est, si quis a Calvino in Cœna Domini, aut in puerorum Baptismo, aut Predestinatione, aut in persecutione dissentit, modo sacras Literas veras esse credit.

Calvinus 80.

Privatus homo, qui vitę & mortis potestatem non habet, si domum cui præ est, sacrilegijs pollui sinat, culpa non vacabit: Quanto fœdior erit principis ignavia, si ad effrenem pietatis violationem conniveat? Sedebit scilicet Iudex in sublimi ac magnifico solio, & Christi gloriam probrose (.1.) deijci tacitus feret, & imperium sibi pænarum metu asserens, licentiam improbis dissipandæ ecclesię concedet?

Vaticanus.

Pergit rhetorice magis quam Christiane, rem exaggerare, ut intelligamus quanto plus profecerit in prophanis artibus quam in sacris. Quid enim effręnem pietatis violationem vocat? Proponatur nobis Servet⁹, cuius odio Calvinus hęc omnia scribit. Negat Servetus baptisandos esse infantes. Vtrum ita sentit Servetus ut dicit, an non sentit? Et hunc sensum vocat Calvinus effręnem pietatis violationē: Qua ratione? Nam effrænis violatio in eo intelligitur, qui sciens peccat: Servetus si peccat, nesciens facit. Vtrum igitur Servetum interficis Calvine, quia ita sentit, an quia ita loquitur? Si interficis quia sic loquitur ut sentit, interficis propter veritatem: Nam veritas est, dicere quę sentias, etiamsi erres, & psalmus 15. beatum pronunciat eum,

qui

qui vere dicit quæ habet in animo: Et tu eum interficis? Sin interficis quia ita sentit, doce eum aliter sentire, aut ostende ex sacris literis interficiendos esse errantes & male sentientes.

Calvinus. 81.

Ergo pietatis doctrinæ vindices erunt pij Magistratus non solum ut ad (1) Fidem cogant minus voluntarios, sed ne ab ea ditione exulet (2) Christus, in qua eius benefitio regnant (3) Ne Ludibrijs impune subjaceat sacrũ eius nomen, cuius splendore honorifica est eorum potestas, (4). Ne contra eius doctrinam protervant impij, qui tranquillum eorum imperium continet (5. Ne infirmos, quibus divinitus præfecti sunt custodes, in exitium rapi silentes & quieti videant.

Vaticanus.

(1. Hoc fieri non posse modo confessus erat, nunc iterum affirmat, & ipse secũ turpiter pugnat: ne quid interim dicam, quod hoc nunc Magistratui tribuit, quod in primis Institutionibus Pastori tribuerat. Ibi enim Cap. 6. Pag. 427. „
sic de Dei sermone disserit: Hæc sunt arcana „
illa spiritualia poëmata Dei ad demolitionem „
munitionum, quibus consilia demoliantur fidei „
milites, & omnem celsitudinem quę extollitur „
adversus cognitionem Dei, & captivam ducant „
omnem cognitionem ad obediendum Christo „
& promptam habent vindictam adversus om- „
nem inobedientiam. En plane & perspicue de- „
finitam pietatẽ, qua ecclesiæ pastores, quocun- „
que demũ nomine vocentur, prędi tos esse con- „
venit, nempe ut verbo dei (cuius positi sunt mi- „
nistri ac dispensatores) confidenter omnia „
audeant: cuius Maiestati omnem mundi gloriã, „

„virtutē sublimitatem cedere cogant, ipse om-
„nibus a summo vsque ad novissimum impe-
„ret, Christi domum edificent, Sathanę domum
„subvertant, oves pascant, rebelles & pertina-
„ces arguant, increpent, revincant, solvant, li-
„gent, fulgurent, denique & fulminent, sed omnia in verbo Dei. Hæc sunt quæ in illo tempore scripsit Calvinus, omnia tamen verbo agens, verbo rebelles ad fidei obedientiam cogens, verbo Lupos interficiens, verbo denique fulgurans & fulminans. Nunc ex verbo suo (quoniā id nullas vires habet) cudit gladiū, & hanc Magistratibus provinciam assignat, ut ferro ad fidem cogant minus voluntarios, In quo iterum turpiter a se dissentit. Nam in postremis Instit. a Roberto impressis Anno 1553. cap. 8. Dist. 170 (hęc ideo sic deligenter noto, ne quis erret, si forte hæc postea Calvinus ut solet mutaverit) sic scribit: *Est igit longe diversa ratio, quia*
„*nec quæcunque sibi sumit Ecclesia, quod sit pro-*
„*prium Magistratus: neque hoc efficere potest Ma-*
„*gistratus quod ab Ecclesia peragitur.* Hęc ibi Calvinus, Magistratum (ut obiter dicam) ab Ecclesia separans, quasi soli Pastores sint Ecclesia: Illic igitur negat hoc efficere posse Magistratum, quod ab ecclesia peragitur, nunc Magistratus officium esse dicit cogere ad fidem minus voluntarios, quod tamen in primis Institutionibus verbo non ferro tribuerat. O hominē versatilem & omnia ex tempore ad arbitrium suum mutantem. O cœci qui cœcum hunc sequimini, quando tandem aperietis oculos? (2) Scilicet Geneva exularet magis Christū, si Servetus non fuisset occisus (.3.) Imo tum maxime

me ludibrijs subjacet & male audit, cum interficiuntur qui id confitentur(4) ac tum maxime proterviunt impij tyranni, cum sibi sævire fas esse putant magistro Calvino (5) hoc est Calvinianos, quos scilicet Servetus in exitium rapuit.

Calvinus. 82.

Obtendunt prӕterea Christi discipulis colendam esse mansuetudinem quæ in magistro apparuit. Neque enim armis, inquiunt, prӕfractos compulit in suum obsequium, sed doctrina omnes blande allicere tentavit. Vt illud impleret Esaiæ vaticinium: Ecce servus meus non rixabitur neque contendet, neque in plateis audietur eius clamor: Calamũ quassatum non confringet & elichnium fumigans non extinguet, quasi vero contraria exceptio nobis non *Esai. 42.*
sit in promptu, ut doctoris officio functus est *Mat. 12.*
Christus, ita arreptum ab eo fuisse flagellum, quo templum Dei a prophana nundinatione purgaret(1) Si impetu profligavit filius Dei, qui divini cultus prætextu hostias in atrio templi vendebant, cur gladium sibi commissum non exerant pij Magistratus ad coercendos perfidos (2) apostatas, qui totum Dei templum aperta contumelia prophanant ac violant?

Vaticanus.

(1) Et nobis Calviniano more sic argumentari liceret. Si adulteram non damnavit filius Dei, cur adulteros damnet Magistratus? Quod si dicet Calvinus eum in adultera non fuisse judicem: nos idem de flagello dicemus: Neque enim præscribebat Lex (quam Christus, si Magistratum gessisset, sequi debuisset) hanc fla

gelli pœnam illis nundinatorib⁹. Item si Christus nundinatores illos tantum ejecet, non interfecit, & jam Magistratus debet Apostatas tantum eijcere, non interficere. Item si Christ⁹ sua ipsius manu id fecit, debet magistratus sua manu id facere, non per carnificē. Si Christ⁹ ex templo manufacto illos ejecit, idem debet facere magistrat⁹. Quod si Calvinus dicet: Templum illud figuram fuisse Templi non manu-
1. Corint. 3. 27. facti, hoc est, cordis hominis (nam Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Item: Corpora
1. Corint. 6. 19. vestra templa sunt Spiritus sancti) Dicemus & nos eadem ratione, flagellū illud manu factum figuram fuisse, flagelli spriritualis, hoc est, verbi Dei, quod verbum non magistratui, sed pastoribus traditum est, per quod debeant Lupos interficere, Sathanę domum subvertere, & cętera omnia præstare, que paulo ante ex ipso Calvino citavimus. Item si Christus injuriā nec a se nec ab alijs depulit, sed multos suo tempore, & maxime Ioannem Baptistam injuste interfici passus est, idem facere debet Magistratus. Denique si Magistratus officiū placet ad Christi vitam revocare, Magistratum habebimus inermen, qui ne Latrones quidem, nedum hæreticos possit interficere. Discamus potius sine sophisticis argutijs sic argumentari, & Calvinum suo ipsius gladio jugulare. Si Christus nundinatores illos non mandavit Magistratui eijciendos ex templo Domini, neque se accusatorem dedit adversus eos, sed ipsemet, eos sua manu suoque telo ejecit, non debuit Calvinus (qui se Christi vicarium esse vult) mandare Servetum Magistratui eijciendum, nedum necan-
dum

dum, neque se, aut coquum suum accusatorem dare advers⁹ eum, sed ipsemet eum sua manu, suoque telo, hoc est verbo, eijcere, vincere, cędere, contumelijs afficere, cogere, trucidare, denique fulgurare & fulminare. Sed cum esset in corde tam ardens vindictæ spiritus (quemadmodum exprobrat ei Servetus in hoc ipsius Calvini Libro pag. 104) in malevolam eius aninam non introivit hæc sapientia. Itaque officij sui oblitus homicidium turpissime patravit & nunc ut id tegat homicidia insuper infinita in hoc Libro molitur, & omnia divina oracula ad suum institutum trahere conatur, quasi pepigerint omnes cum eo, se se quicquid effutiverit id credituros, sicut solent eius discipuli. Iamjam, Calvine, patescunt artes tuæ: videt te Deus, & videbunt homines brevi (2) hic homo omnia inepte comparat, nundinatores cum apostatis, & Christũ cum Magistratu, & profligare cum coercere: cum neque Christus fuerit Magistratus, nec apostatæ nundinentur in templo Domini, nec profligare sive eijcere sit idem quod ferro coercere. Nam Apostata is est, qui sua sponte exit templo Domini, hoc est ecclesia, Quomodo potest igutur in ecclesia nundinari, aut inde eijci, qui est extra? Ipse potius Calvinus & eius similes nundinantur in templo Domini, suntque vere Cananæi, hoc est mercatores: nam hoc significat nomen Canaan. Primum non nisi stipendio docent. Scio vivere debere ex ara qui seruit aræ: sed isti sic stipendio sunt addicti, ut si auferas ab eis stipendia, non sit eorum pars vigesima remansura. Cum esset in Comitatu Montpellicar-

Quid sit Apostata.

1. Cor. 9. 13.

 donsi

densi introductum *Interim*, quo Concionatoribus stipendia precidebātur, fuerunt ibi magna pars, qui concionari pergere noluerunt saltem usque ad Pascha, quod instabat: cum tamen eos adhortaretur eorum primarius, Lausaniæ vero sic nundinantur, ut sint ibi semper præstantes, qui sic concionandi munus aucupentur, quomodo in Papatu expectantur Curionatus, Abbatiæ & cætera mercimonia. Ac eousque nundinationibus ac Litibus processum est (litigant enim assidue inter sese sicuti mercatores) ut Magistratus Bernensis cum ex eorum litigationibus assidue obtunderetur, detraxerit eis singulis centenos floneros illius monetę de animis stipendijs. Prudens sane Magistratus, qui cum intelligeret mercatores istos nulla re magis gaudere quam Lucro, judicaverit nulla pœna convenienti⁹ aut melius coërceri posse, quam damno. Atque hæc est eorum nundinationis prima pars. Altera quod ex Theologia fecerunt artem humanarum similem. Itaque ad concionandi munus neminem admittunt nisi sit humanarum scientiarum peritus, & nisi linguas, hoc est Hebręam, Grecam, & Latinam sciat, aut saltem Latinam: Nam has tres, quæ mortuę sunt (quippe que nulli jam populo sunt in usu) solas numerant in Linguis, Cæteras quę vivæ sunt quibusque populi utuntur, nullo loco habent. Itaque si quis de cæteris Linguis, vel viginti sciat, si tres illas ignorat, nusquam vocabitur trilinguis: Sin illas tres didicerit, etiamsi alias calleat, tamen tantum trilinguis vocatur: tanti faci-

ti faciunt isti quæ vulgus ignorat. Præterea neminem admittunt, nisi sit ab ipsis missus: mittunt autem neminem, nisi qui cum ipsis per omnia consentiat, eorumque dicta & facta omnia probet, & eis non solum assentiatur, sed etiam assentetur. Qui hanc notam ab eis non accepit, huic memoriam exercere non licet. Ipse Christus si veniret, nisi saltem Latine sciret, & nisi ab eis missus esset, haud scio an admitteretur.

Iam vero animas hominum quando nundinentur, pretereundum non est Ecclesiam bifariam interpretantur. Sed ponamus potius verba Calvini ex postremis Inst. Cap. 8. in expositionibus quartæ partis simboli: Bifariam (inquit) » de Ecclesia sacræ literę loquuntur: Interdum enim cum Ecclesiam nominant, eam intelligunt, quę revera est coram Deo, in quam nulli recipiuntur, nisi qui & adoptionis gratia filij Dei sunt, & Spiritus sanctificatione vera Christi membra.

Sæpissime autem Ecclesiæ nomine universam hominum multitudinem in orbe terrarum diffusam designat, quę unum se Deum & Christum colere profitetur: Baptismo initiatur in ejus fidem. Cęnæ participatione unitatem in vera doctrina & charitate testatur: confessionem habet in verbo Domini, & ad eius prędicationem ministerium conservat ab eo institutum. In hac autem plurimi sunt permixti Hypocritę, qui nihil Christi habent preter titulum atque speciem: Alij quam plurimi ambitiosi, avari, invidi, maledici, nefarij,

aliqui

„ aliqui impurioris vitæ? Qui ad tempus tolerantur, vel quia legittimo judicio convinci nequeunt, vel quia non semper ea viget disciplinę severitas, quæ debeat. Quemadmodum ergo nobis invisibilem, solius Dei oculis conspicuam ecclesiam credere necesse est, ita hanc, quæ respectu hominum ecclesia dicitur, observare, eiusque communionem colere debemus. Item Dist. 9. Rursum tamen, quia aliquatenus expedire videbat, ut sciremus, qui nobis habendi pro ipsius filijs essent, hac in perte sę captui nostro accommodavit. Et quoniam fidei certitudo non erat, quoddam charitatis judicium eius loco substituit, quo pro ecclesię membris agnoscamus, qui & fidei confessione, & vitę exemplo, & sacramentorum perticipatione, eundem nobiscũ Deum ac Christum profitentur. Hęc sunt verba Calvini.

Talem observant habentque ecclesiam isti, videlicet quæ respectu hominum ecclesia dicitur in qua fidei certitudo necessaria non est, sed tantum quoddam Charitatis judicium, de qua charitate sine fidei certitudine indicant. In hac permixti sunt hipocritæ plurimi & alij quos commemorat. Quæro igutur, cur illos non eijciat? an quia judicio convinci nequeunt? Imo longe facilius quam hæretici: nam de Hypocritis, ambitiosis, avaris, quinã sint nulla controversia est, prętertim de Hipocritis, qui veniunt in vestitu ovium, & a fructibus, hoc est hoest, homicidijs, cognoscuntur, sicut & Lupus ab esu ovium: At de Hæreticis est controversia, nec adhuc ostendere potuit Caivinus, quid sit Hæreticus, cum tamen de Hæreticis occidendis

nomina-

nominatim scribat. Cur igitur neminem unquam propter avaritiam aut invdiã combussit, cum plurimos noverit, & accusare & convincere possit? An quia non viget Genevæ ea disciplinæ severitas, quæ debebat? Imo viget authore Calvino. Supra enim ostendit, non nisi boni Magistratus esse persequi Hæreticos. Quod cum suo Magistratui in Servetũ persuaserit, habet suum Magistratum pro bono. Cur ergo ab eo impetrare non potest, ut Hypocritas & avaros illos occidat? An sunt ei Hypocritę meliores quam Hęretici? Aut si non sunt, cur obsequenti orem habet Magistratũ in Hæreticos, quam in illos? Sed quid ego hæc persequor? Calvinus non habet pro magnis vitijs ea, quæ Deus habet pro maximis, ut apparet in ijs legibus, quas condidit de administratione Ecclesiæ, in quibus facit vitiorum genera quo : Vnum eorum quæ in ministro *omnino* tolerari nequeunt, quorum primum ponit hæresin, inter cætera Lusiones Legibus vetitas & choreas. Alterum tolerabilium, in quibus ponit scurrilitatem, mendacitatem, calumniam, avaritiam, nimiam iracundiam & contentiones. Hæc vitia sunt ei tolerabilia, cum sacræ littere nihil deterius inveniant quam scurras, adeo ut in 1. Psalmo inter pessimos ponantur: & avaros cum omnium malorum radicem vocet Paulus avaritiam. Sed hæc vitia Calvinus tolerare potest, quæ sunt notissima; Hæresim, lusiones & choreas non potest, quid hoc homine facias, qui scurrilitatem & avaritiam & calumniam leviora vitia putet quam Hæresim aut Lusiones, & choreas? Itaque ergo avaris, invidis,

vidis, maledicis, delatoribus, calumniatoribus, mendacibus, Hypocritis (quorũ Hypocritarum Calvinus in illis Legibus nullam fecit mentionem? Tantuli est apud eum momenti hypocrisis) apud istos facile Locus est: At si quis ab eis aliqua in re dissentiat, etiamsi sit alioquin inculpatis moribus, Hæreticus est, ferri non potest.

Ponam atque narrabo exemplum unum, ex quo cętera perspici possint. Narrat Ioannes Gastius concionator Basiliensis in Libro de Anabaptistis, fuisse quendam tornatorem Anabaptistam capitis damnatum Basileę, sed ei Oecolampadius gratiam a Magistratu impetravit, dummodo recantaret: Recantavit, & postea fuit homo pessimus, nec ei tamen quisquam propter flagitiosam vitam molestus fuit. Ponam verba ipsius Gastij: Revocat (inquit)
" ridenti ore in Ecclesia: Sed quid dicam? Pos-
" tea scelestiorem, obscœniorem & magis per-
" frictæ frontis hominem nemo unquam vidit.
" Iactabat se coram suis, cum probitati studeret,
" Religioni sanæ adhęreret, persecutionem pas-
" sum fuisse: Tum cum sceleribus inundet, po-
" tet usque ad mane summum, scortetur, chore-
" as ducat, a nemine corripi. Hæc Ioannes
" Gastius.

Sic igitur docent, Modo sit doctrina & sacramentorum usus sanus, adesse Eccelsiam: Peccata vinci non posse: Nos esse & fore carnem usque ad mortem. Hisce modis populo assentantur, & ignarum eius rei Magistratum assidue irritant in Hæreticos (sic appellant eos, qui ab ipsis dissentiunt) docent nihil eis esse

deterius

deterius aut majori supplicio dignum. Itaque rebaptisatum esse, apud eos longe est capitalius quam adulterare, aut invidere, aut maledicere, ludere tesseris, tempus, quo nihil chari⁹ inutiliter consumere, huc illucque divagari, ut solent Scortatores omnes, annos adolescentiæ suæ mulieribus inhonestis transigere, aut superbum aut iniustum, detractorem, aut suum ipsiusquærentem commodum, aut avarum, aut scurram, aut calumniatorem esse. Rebaptisatos interfici jubent, non ex scripturis sacrosanctis, sed ex sententia Swinglij, qui præclaram hanc legem tulit, *vt qui mersus fuerit, mergatur*. Cumque clament omnia se ex scripturis sacris facere, nondum tamen unam inde syllabam ostendere potuerunt, quæ jubeat interfici, si quis erret in intellectu Cænę aut Baptismi. O Magistratus, qui vos ducunt, seducunt. Hæ sunt vere prophanæ animarum nundinationes: Hisce modis illi animas vivificant, quas Deus non vivificat, & occidunt quas Deus non occidit. Itaque cum venerit Dei filius, eijciet mercatores istos, non quo flagello ipsi nos eijciunt (nam eis Christi flagellum, ensis est carnificis) sed igneo, invictoque sermone suo, quoniam totum sanctum Dei templum aperta contumelia & blasphemia porphanant & violant. *Ezech. 13.*

Calvinus. 83.

1. Hic unum quidem huius sancli Zeli specimē edidit Christus. In reliquo autē vocationis suæ cursu ab externo correctionis genere abstinuit ne

ne spirituale regnum sibi a patre commissum, terrenis imperijs misceret. Nam qui hæreditatis inter fratres Herciscundę arbiter esse renuit, suum tamen cuique jus servari vult a pijs judicibus.

Luc. 12. b. 14. ve.

Vaticanus.

(1) Atqui si tamen Magistratui exemplum dedit, cur non & deinceps? Sin min⁹, cur illud ad Magistratum trahitur (2) potius quam hoc? aut quis nobis distinguet quando sit imitandus, aut non sit?

Calvinus. 84

Ad hęc, distincte notat Esajæ vaticinium, non ad omnes promiscue spectare, quam commendat in Christo mansuetudinem.

Vaticanus.

Tamen ipse est porta, per quam qui non intrat fur est & Latro: Discite a me, inquit (omnes oneratos alloquens) qui mitis sum, & ego reficiam vos. Sed Calvin⁹ mansuetudinē hanc ad se pertinere non putat: Itaque non reficitur.

Matth. xi. 29.

Calvinus, 85.

Placida Christo mitisque suavitas tribuitur, qua infirmos sustineat, non qua robustam malitiam magis obduret.

Vaticanus.

Tamē Iudę robustam malitiam pertulit, nec tamen obduravit: Nec Calvinus Servetum obdurasset, si pertulisset: potius obduravit non ferendo. Non enim obdurantur homines mā-suetudine, sed potius ad pœnitentiam invitantur.

Calvinus. 86.

Mansuetus est Christus ut calamum quassatum non confringat, an ideo quoque ut eorum obstinationem foveat, qui debiles cōfringunt?

Vaticanus.

Tamen

Tamen Sribas & Pharisæos pertulit, qui debiles confringebant, & populum a veritate avocabant, nec tamen fovit eorum obstinationem, non enim fovetur obstinatio patientia, sed potius rumpitur, si ullo pacto rumpi potest: nam malum bono vincitur, non malo.

Calvinus. 87.

Mansuetus est ut parcat elichnijs fumigantibus an ideo, ut tenebras non discutiat? *Esai. 42. Mat. 12*

Vaticanus.

Quare discutiat? ferro ne an Luce?

Calvinus. 88.

Quin potius sceptro ferreo armatur, quo inimicorum capita conterat.

Vaticanus.

Contere capita, non est tenebras discutere: & sceptrum ferreum Christi vocant sacræ Literæ fervorem potentem & inexpugnabilem, & spiritum oris eius, quo Antichristum sternet sicuti supra ex ipso Calvino citavimus. Vbi ferrum?

Calvinus. 89.

Scio equidem, ut non alio quam verbi gladio vtatur Christus, promptam illi esse vindictam in omnes impios (1) sed non dicemus alio quam eius spiritu actum fuisse Petrum, quum Ananiam & Saphijram subita morte percussit: nec Paulum dicemus fuisse Magistro dissimilem, quum Elymam magum cæcitate vltus est.

Vaticanus.

Nobis mirifice illudit hic homo: vtitur adversativa conjunctione, Sed, & tamen nihil contrarium ponit ei quod dixerat: Nec enim alio quã verbi gladio Petr⁹ vsus est. Et Hoc ipsum est, quod nos dicimus, Christi gladium esse ver-

bum. At enim Petrus eodem spiritu actus fuit? Quis negat? Sed ostende eum eo gladio usum fuisse, quo tu usus es in Serveto. Deinde Petrum falso accusat: Non enim a Petro occisus est Ananias, sed tantum objurgatus & reprehensus. Quod si objurgatione attonitus perijt, non objurganti debet hoc tribui, sed ultori Deo: Alioquin dicendum erit, etiam Nabilem ab Abigaele uxore sua fuisse occisum, quum posteaquam illa ei narraret in quanto ipse periculo fuisset, diriguit homo, & post aliquot dies obijt. Atque idem dico de Saphijra. Quod enim ei dixit Petrus: Pedes eorum qui virum tuum sepeliverunt, sunt pro foribus, qui te efferent, mortem prædixit non intulit. Alioqui dicendum esset Prophetas, quoties mortem alicui predixerunt, etiam importasse, Id quod falsum est.

1. Samu. 25. 37.

Actor. 5. 8.

Eadem dico de Paulo & Elynam. Sed dicatur sane a Petro occisus Ananias, quoniam eius sententiam ratam Deus habuit, & quod Petrus in terra ligavit, id ligatum fuit etiam in coelo. Quorsum hoc citatur a Calvino? utrum enim debet pastor imitari Petrum, an Magistratus? Certe pastor: non enim gessit Magistratum Petrus. Cur ergo non percussit Servetum verbo Calvin⁹, sicuti Petrus Ananiam? Cur eam provinciam mandavit carnifici? Non potuit, si modo vera est illa, quam diximus, Calvini sententia. Quod Magistratus nihil facere potest, quod ab Ecclesia peragitur.

Calvinus 90.

Nec video quorsum pertineant potentiæ, quas

inter

ter Spiritus dona commemorat idem Paulus, nisi ut ad incutiendum comtemptoribus terrorem vigeret Spiritus severitas.

Vaticanus.

Paulus glariatur sibi datam esse potentiam ad ædificandũ, non ad destruendum: & Christus dicit se non venisse ad perdendum, sed ad servandum. Itaque ad hanc rem dedit dona sanandi & consolãdi, & cæteras potestates: Dona occidendi dedisse eum ego non legi: Sed quod abolebit omnem potestatẽ, hoc legi. Verbum quidem dedit potens & invictũ, quo posset contumaces cogi, sed ferrũ non dedit. Erant illę potentiæ ad servandũ, hæc Calvini ad perdendum: illæ novę, hæc usque à Caino ducens originem. Atque illæ jam pridem cessarunt, quemadmodum prædixit Paulus fore, ut prophetiæ & linguæ cessarent, quod idem de miraculis videmus accidisse. Itaque Calvinus ipse, qui de his potentijs gloriatur, tamen eis caret. Nam Servetum nunquam alio, quam verbi telo occidisset, si verbi vires habuisset. Enimvero cum verbo nec sanare, nec occidere posset, servandi provinciam totam omittit (non enim venit ad servandum sed ad perdendum) perdendi autem provinciam Magistratui committit, ne, si id sua manu fieret, detegeretur hypocrisis. Nam hijpocritis non licet interficere quenquam, quippe ovina pelle tectis.

2. Corin. 10. 8. Luc. 9. 55. 1. Corin. 15. 24. 1. Cor. 13. 8. Ioh. 18. 31.

Calvinus 91

Ergo verbi ministris licuit corporali, i. poena coercere impios: principes, quorum proprium est munus gladio tueri sanctum ordinem, in fidei dispositione cessabunt?

Sibi contradicit, Dixit enim in Inst. ut ostendimus, nihil facere posse Magistratū, quod ab ecclesia peragitur. Nunc sic argumentatur: Si verbi ministris licuit corporali poena coërcere impios, licet & principibus: cum sic ex illa superiore ejus regula argumentari liceat. Si licet ministris, non licet principibus. Sed nos sic argumentabimur: Quemadmodum Apostoli suo telo, hoc est verbo, puniverunt sontes quos habebant in potestate verbi, idque ob peccata, quę verbis & doctrina consisterent: sic debet Magistratus suo telo, hoc est, gladio, punire sontes quos habent in potestate gladij, idque ob peccata, in quæ jus habet gladius. Et quemadmodum Petrus verbo punire non potuisset homicidam, sed eum Magistratui reliquisset: Sic Magistratus ferro punire non potest hypocritam, aut hæreticum, aut mendacem (nullam enim ad id legem habet) sed eos debet Pastoribus puniendos relinquere: alioquin miscebuntur sacra profanis. Hoc aperte docet Elisæus, qui querenti regi Israëlitarū, an deberet interficere Sijrios, quos Elisęus cœperat, respōdit, non percuties: neque enim cœpisti eos gladio & arcu tuo, ut percutias. Sic dicet verus Pastor Magistratui, non occides hypocritas, hereticos, mendaces, neque enim cœpisti eos gladio & arcu tuo, ut occidas. Capiet & occidet eos dominus spiritu oris sui. Occide homicidas, raptores & cæteros, quos gladio potes capere. Atque ut exemplum hoc absolvam, componam cum Petro Calvinum, ut ex collatione perspici possit, qualis hic fuerit imita-

4. Regum 6.

tor Petri. Petrus Ananiam objurgavit, & si placet (ut hoc Calvino concedam[b]) occidit solo verbo, sine cuiusquam opera. Calvin⁹ Servetũ occidit solo ferro, opera Magistratus. Petrus illum propter mendacium, quia mentitus esset Spiritui sancto: Calvinus hunc propter veritatem, quia mentiri noluisset: si enim recantare, & contra conscientiã loqui Servetus voluisset, evasisset, sed quia dixit quod sensit, perijt. Petrus facto illo effecit, ut alij deinceps mentiri formidarent: Calvinus hoc facto effecit, ut deinceps alij verum dicere, metu pœnę, reformident. Petrus illis ostendit vires verbi sui, ad laudem Dei: Calvinus hic ostendit imbecillitatem verbi sui, ad Laudem gladij, qui Calvini Deus est. Petrus postea nihil tale fecit, quod sciamus: Calvinus hunc ipsum librum pertinaciter & obstinate (1) nominatim scripsit ad excitandas similes toto orbe persecutiones. Væ cœcis cæcorum ducibus: Væ væ & ijs qui ab eis ducuntur, nisi hic oculos aperire, & se in viam reduci volunt.

Calvinus. 92.

Porro crudelis est ista, quam laudant, clementia, oves exponere in prędã, ut lupis parcatur.

Vaticanus.

Lupos verbo, & quidem a pastore interfici ipse Calvinus ante docuit: nunc vult a Magistratu: atqui ab utroque interfici non possunt. Taceo quod lupi veniunt in pelle ovium, intus autem sunt lupi rapaces, a fructibus eorum cognoscetis eos. Fructus autem lupi est carnem crudam comedere. Itaque non qui interficiuntur, sed interficiunt lupi sunt. *Math. 7. 15.*

Calvinus. 93.

Animas ipsi pravorum dogmatum veneno inficiunt, & legitima gladij potestas ab ipsorum corporibus arcebitur?

Vaticanus.

Etiam invidi & avari & superbi animas inficiunt, multos enim sui similis & verbis & exemplis assidue gignunt: Invidus invidos, superbus superbos, avar⁹ avaros, sed in eorū corpora
Act. 12. gladio potestas nulla est. Occisus est ab ange-
23. lo domini Herodes propter superbia: Sed a Magistratu ea de causa occidi non potuisset.

Calvinus. 94.

Lacerabitur totum Christi corpus, ut putridi unius membri intactus maneat foetor?

Vaticanus.

Putrida membra Paulus amputat, Dum ea
1. Cor. tradit Sathanę, hoc est excommunicat, idque
5. 5. in pœnam corporis, ut spiritus servetur in Diem Domini: Itaque ea iterum recipit, si ad sanitatem redierint. Hoc officium pastoris Calvinus ad Magistratum transfert, etiam contra seipsum. Nam in causa Bartelerij, contendit id officium esse pastorum, non Magistratus. Et ea de re gravissimam habuit cum Magistratu Genevensi controversiam, adeo ut ad Helveticas ecclæsias missum fuerit. Iam si Magistratus amputat membra, non potest id facere Pastor, nec ea rursum possunt recipi: Sin pastor facit, non potest Magistratus. Taceo quod hominem occidere non est membrum amputare. Am-
Rom. 11. putatur enim membrum incredulitate, quem-
20. admodum docuit Paulus, de Iudęis ex olea amputatis, qui tamen occisi

non

non sunt, Cùm Magistrat⁹ civem interficit; non privat eum Civitate, sed vita. Item cum occiditur aliquis tamque hæreticus, non amputatur ex Christi corpore; sed ex vita corporis; alioquin si mors corporis esset amputatio, omnes qui moriuntur amputarentur ab ecclesia.

Calvinus. 95.

Et quidem vt moderate agant principes, a pijs Doctoribus monendos hortandosque esse fateor, & medicorum instar ultimam non adhibeant medicinam, nisi desperatis morbis. Sed a dissoluta mollitie, quæ nihil aliud est quam mali fomentum; multum differt levis humanaque medendi ratio. Vaticanus.

Hoc si Calvinus observasset, nunquam Servetum, quo primum die vidit, capitis accusasset, nec postea tam cito tamque crudeliter interfici passus fuisset, ne dicam fecisset.

Calvinus 96.

Adducunt etiam Scripturę testimonia, in quib⁹ videntur habere aliquid coloris: Sinite (inquit Christ⁹) zyzania crescere cū tritico, ne simul evellatur & triticum. Si pręcise nobiscum agunt ex verborum formula; non tantum prohibētur Magistratus ab usu gladij, sed omnem disciplinam e medio tolli oportet. *Mat. 13.*

Vaticanus.

Explicandum est apertius quid sit evellere zyzania, quoniam res est maximi momenti ad hanc questionem. Cum essent inter Corinthios lites & dissidia, ita ut diceret, ego sum Pauli, ali⁹ ego sum Apollos, sic eos objurgat Paul⁹. Ego minimi facio de me, vel a vobis, vel omnino humana die judicari: quin neque ipse de me *1. Cor. 3. 4.*

 sen-

„ sententiam fero, quamvis enim nihil mihi cō-
„ sciam, non tamen idcirco sum absolvend⁹. Ve-
„ rum qui de me judicium facturus sit, Dominus
„ est, quamobrem ne quid ante temp⁹ judicate,
„ donec veniat Dominus, qui tenebrarum occul-
„ ta proferet in Lucem, & animorum cōsilia pa-
„ tefaciet, ac tum demum Laudem quisque con-
„ sequetur a Deo. Hæc ego fratres in me & in
„ Apollo derivavi propter vos omnes, ut in
„ nobis discatis, nemini super quam scrip-
„ tum est arrogare, ne alius de alio contra
„ alterum tumeatis. Quis enim de te judicatu-
„ rus est? Hæc Paulus, quasi hoc dicat, Qui dicit:
„ Ego sum Pauli, tumet de Paulo, & eum juditio
suo prefert Apollo, & seipsum præfert discipulis
Apollos. Hoc autem est judicare, quo quis sit
excellentior & Deo charior. Atqui hoc judi-
cari non debet ab hominibus, neque ante di-
em Domini. Itaque quamvis ego nullius mali
mihi sum conscius, tamen nolo me justum judi-
care, etiam si sim justus: non enim meum est de
me judicare, sed Domini, cuius judicium non-
dum venit, sed expectandum est: Qui judicat
aliquem esse reprobum aut electum, judicat de
occultis tenebrarum & consilijs cordium.
Nam ex consilijs cordium reijciet aut accipi-
& domin⁹ homines. Atqui occulta illa non an-
te Lucem & diem adventus Domini patebunt.
Itaque ante diem illam judicari nō potest quis
sit reprobus. Alioquin periculum esset, ne Co-
rinthij aliquem reprobarent, quem Deus non
reprobaret, & non *reprobarent*, quem *reprobaret*.
Itaque quamvis habent nonnullam scientiam,
qua judicare possint de rebus alijs, non est tamē
ea

ea tanta, ut eis de rebus tam arduis judicium permittat Paulus, cum ne id sibi quidem, qui eos scientia longe superabat, permittat. Iam cōfer hunc locum Pauli cum parabola de zizanijs, invenies similem. Nam quod dicit paterfamilias: Ne evellite ea ante tempus messis, videlicet ne forte zizania evellentes, evellatis etiam frumentum. Id ipsum est quod dicit Paulus: Ne quid ante tempus judicate, videlicet, ne quem forte damnetis, qui non sit damnandus. Nam hoc sępe fit ab ijs, qui ferro sarriunt Ecclesiam. Et quod dicit ille: Messis tempore mandabo messoribus &c. Id ipsum est quod dicit Paulus, Donec veniat Dominus &c. hoc est, cum dicet benedictis: Venite, & maledictis Ite. Igitur evellere zizania, est judicare aliquem esse reprobum, & eū ex Christi corpore in sempiternum abscindere. Id quod fieri non potest ante diem Domini. Iam quod objicit Calvinus de Magistratu, nihil ad zizania pertinet. Cum enim Latronē occidit, non evellit eum ex corpore Christi, sed ex hac vita. Et sæpe bene sperant Magistratꝰ de eorum anima, quorum corpus trucidant, Nec eos interficiunt quia mali sunt, sed quia male fecerunt & nocuerunt. At in hęreticis alia ratio est. Qui enim eos interficiunt judicant eos reprobos & in æternū damnatos, in quo Dei judicium, quod Paulꝰ expectari jubet, antevertunt. Propterea in interficiendis facinorosis non aberratur, si modo constet de facinoribus: nam ipsimet facinorosi confitentur se mortem meruisse. At in hæreticis aberratur, multi enim pij occisi sunt pro hæreticis, confitentes quidem id, cuius accusabantur, sed id

 pec-

peccatum esse, aut, morte dignum negantes. Primum Christus non negabat id de quo accusabatur, videlicet, quod dixisset, se esse filium Dei: atque hanc ob causam interfectus est tanquam blasphemus. Idem accidit postea Apostolis & cæteris, qui propterea interfecti sunt, quod Christianam religioné profiterentur. Cum igitur id illis acciderit propter improbitaté hominum in causa religionis: in alijs autem caussis non accidit (nam qui tunc propter facinora patiebantur, recte interficiebantur, nec Iudæi neque cętere gentes propter talia supplicia repræhensę sunt a Deo) non debemus putare nostrum seculum esse melius illo, ut in eo errari non possit, cum scriptum sit, ultima tempora, hoc est nostra, fore pessima. Ad hęc cum Christus hic dicat satorem esse filium hominis: Satorem autem zyzaniorum esse hominem inimicum, hoc est, Diabolum, qui zijzania severit post doctrinã Christi, non videtur zyzania appellare latrones & adulteros, cæterosque eius generis maleficos. Non enim sevit Diabolus post Evangeliũ, cum essent jam ante Evangelium. Sed videtur zyzania apppellare eos, quos Diabolus sevit falsa doctrina post Evangelium cuiusmodi sunt Hæretici & hypocritæ, qui per speciem religionis Christianæ, decipiunt homines: & sic inter pios latent, quomodo herbæ latent in segete, donec fructum ediderint. Hæc jubet Christus usque ad messem relinqui, ne quis forte bonus una cum eis interficiatur. Præstat enim ut omnes mali vivant usque ad judicium, quam si vel unus bonus in interficiendis malis interficeretur: Quemadmodum rex

2. Timo. 3. 1.

malet

malet ut omnes in suo regno Latrones, viveret, quam si unus regis filius cum omnibus latronibus occideretur. Sic enim rem fingamus. Est rex Galliæ qui habet aliquot filios in regno suo dispersos alba veste indutos, sed populo ignotos. Cum eis permixti sunt simulatores quidam, qui ut honorentur tanquam regis filij, vestes albas sumserunt, & se quoque Regis filios esse jactant. Rex hac de re certior factus edicit, ne quis hominem alba veste indutum necare aut violare audeat, sub pœna capitis, ne quis forte de Regis filijs interficiatur, sese post annũ omnes congregaturum & nudaturum esse, & simulatores occisurum: suos autem filios (quorum in corpore detracta veste conspiceretur impressum Lilium) servaturum. Nonne punietur a Rege, si quis albatum hominem interfecerit, sive is regis filius sit, sive non sit? Iam Rex Christus est, albati sunt eius Discipuli: Hypocritę vero & Hæretici ijs sese admiscuerunt & vestes albas sumpserunt, ut honorentur tanquã Dei filij, hoc est, sic in speciem vivunt, ut sancti & pij esse videantur. Hoc intelligens Christus, jussit utrosque relinqui usque ad diem judicij, in quo detracta simulationis veste, occulta tenebrarum proferet in Lucem, & patefaciet consilia cordium, quę nunc latent. Nonne expectari debet illa Dies? An putamus nos tantã cognitionem habere, ut videamus consilia cordiũ, quæ Paulus docet non patefactum iri ante diem Domini? Nonne contra hoc Christi edictũ facimus, si hypocritas aut hæreticos albo vestitos, hoc est, nullius facinoris reos (nam si quod facinus commiserint, jam non sunt albi: Est enim

Similitudo elegantissima.

nim

nim facinus nigra vestis) occidimus? Nonne ijs occidendis accidere potest ut occidatur pius aliquis, sicut hactenus semper accidit? Quod si dicemus nos non errare, idem semper dixerunt qui pios occiderunt: nonne errare possumus, ut illi erraverunt, in ijsdem faciendis, quę fecerunt illi, cum nihilo illis simus meliores? Quis unquã putavit se tenere falsam religionem? Errarunt Iudęi qui Christũ & Apostolos persecuti sunt: Errarunt gentiles, qui Christianos persecuti sunt. Erravit Papa, qui Lutheranos & Zwinglianos persecutus est. Erravit Henricus Angliæ Rex, qui Papistas & Lutheranos, & Zwinglianos, & Anabaptistas interfecit. Erravit Lutherus, qui Zwinglianos, Diabolos appellavit & in Gehennam damnavit. An soli Zwingliani & Calviniani non errabunt? An soli hi in Christi tribunali sedebunt, ut eis solis liceat de
Mat. 24. 84. Hęreticis judicare, & eos occidere? O serve nequam qui tardius veniente domino, inebriaris rebus secundis, & verberas occidisque cõservos tuos, veniet dominus, qua hora minime speris, & te dissecabit, ibique ponet, ubi ponuntur Hypocritę, ibi erit fletus stridorque dentium.

Calvinus. 97.

Excommunicatio purgandæ Ecclesiæ optimum est remedium: atqui locum non habebit, si zyzania attingere fas non est.

Vaticanus.

1. Cor. 5. 5. Non consequitur. Quos enim excommunicabat Paulus eos ad tempus tradebat Sathanę, ut hac poena subacti sese corrigerent, quo spiritus eorum (cum sese correxissent) servaretur in diem Domini. Hoc non erat zyzania evellere: nam

nam evulsa zyzania funditus pereunt: nec eos Paulus pro zyzanijs habebat: non enim congeruntur zyzania in horreum. At illos Paul' servabat in horreum Christi.

Calvinus. 98.

Adde quod non tantum de perversis dogmatibus illic Dominus agit, sed quascunque corruptelas ad vitiandum bonum semen spargit Sathan, in genere designat (1) Facessant igitur Leges & judicia, si relinqui zyzania oportet usque ad messem. Vaticanus.

Non consequitur, quemadmodum jam ostendimus. Sed Calvinus non intelligens quid sit zyzania, aperte negat non relinquenda, quę Christus aperte docet relinquenda, ut sit Antichristus, hoc est, Christo aperte contrarius. Putat evelli zyzania a Magistratu, cum interficitur homo: quod perinde est, acsi putaret sanari febrem a carnifice, cum febricitantem interficit. Sic sanetur sane Calvinus, si hanc curationem amat. Pergit deinde, & postquam ecclesiam cum agro comparavit, qui zijzania ferre cogatur, sic infert.

Calvinus. 99.

Est quidem illud verum, simul ac cum Evangelio suo prodit Christus, ventilabro paleas a tritico discernere. Sed hoc ita facere incipit, ut plena purgatio ad diem vltimum differatur: quo segregabit agnos ab hædis.

Vaticanus.

Si ventilabrum ferrum est, hoc nihil ad verbum Evangelij: sin verbum est, hoc nihil ad ferrum Magistratus, preterea Christus Evangelio suo sementem fecit, paleas quidem a tritico,

teme-

tempore sementis secernere non potuit, hoc enim esset contra naturam: sed neque potest, si quando prodijt cum Evangelio suo: Aliud enim est segetem adhuc viridem colere, aliud metere. Omnino messis tota fiet tempore messis, idque non a Magistratu, sed Dei nuncijs: nec palea a tritico ante diem illam separari, aut in ignem conijci incipiet.

Calvinus. 100.

(1) Non igitur quemlibet rigorē cessare Christus jubet, sed tolleranda esse mala admonet (2) quæ sine pernicie corrigi nequeunt.

Vaticanns.

1. Neque quisquā id dixit, quod sciam: Est enim excommunicatio rigor, quam nemo tollit: sed ea nihil ad evulsionem zyzaniorū (2) At Calvinus putat hæreticos a se posse intetfici sine pernicie, cum nulla unquam major extiterit pernicies, quam ex occisione eorum, qui habētur pro hereticis.

Calvinus. 101.

Act. 5. Gamalielis authoritas perperam ab illis adducitur. Suadet Gamaliel ut quiescant Scribæ, quiasi ex hominibus est doctrina, sponte dissolvetur: sin ex Deo, nunquam poterit dissolvi? Nam id imperite dictum esse facile inde patet, quod non modo pessundet omnem politicum odinem, sed ecclesię quoque disciplinam enervet. Et certe habenda erat personæ ratio. Nam Gamaliel ambigens quid rectum sit, quasi cęcus in tenebris neque huc neque illuc se convertere audęt, sed suspēdit sentiam. Interim ex veris principijs malam consequentiam elicit, nihil ædhibendū esse consilij, quia Deus quod suum est tuebitur; quod autem ab hominibus pes-

pessum ibit.

Vaticanus.

Est operæpretium videre istorũ (qui alios interficiunt, qui ab ipsis dissentiãt) concordiam. Bullingerus Calvini in fundendo sanguine socius, Gamalielis consilium summis laudibus extollit in Actis his verbis: Gamaliel pro prudentia sua & animi modestia, longe aliud decrevit. Illi in templo laniandis pecudibus assueti de sanguine & Laniena disserunt. Hic vero Scripturis & Legi Dei assuet⁹ a crudelitate retrahit & sapienter consulit. Habet enim Deus ministros suos vel in impiorum medio, quorum opera ad defendendum suos utitur. Qualem hoc loco Gamalielem videmus, cujus quidem authoritas magna fuit non tantum apud exteros Iudaicæ religionis cultores, sed apud nostrates quoque: meminerunt enim ejus, non citra insignem honoris prerogativam Doctores ecclesiastici. Nam ipse Paulus in 22° hujus Libri capite fatetur se ad pedes hujus Gamalielis perdidicisse Legem. Hinc Divus Hieronimus ejus mentionem facit in catalogo scriptorum Ecclesiasticorum. Imo Chrisostomus, & post hunc Beda ex authoritate Clementis Alexandrini aiunt Gamalielem fuisse in fide Apostolorum socium. Minime ergo mirandum est, quod tam cordate Apostolorum causam *agit*. Hæc Bullingerus. At Calvinus tanto socio in re tanta plane contrarius est. Statuit enim (quia suam non veritatis causam agit) optima quæque enervare; Superius commendaverat Pauli setentiam Legis, quam a Gamaliele didicerat, hic Gamalielem cæcum facit. Quæramus igitur ab

Bullingerus in fundendo sanguine Calvini socius.

hoc

hoc tam perſpicace Calvino, quid ipſe Scribis conſuluiſſet, ſi in illo concilio adfuiſſet? Nimirum ut interficerent Apoſtolos. Cum enim cęcum appellet eum, qui id diſſuadebat, non eſt dubium, quin ipſe contraria, hoc eſt mortem, ſuaſurꝰ fuerit: atque ita ſententia Calvini interfecti fuiſſent Apoſtoli: & certe interfecit quod in ſe eſt, quod ſi negat, oſtẽdat nobis quid illis ſuaſurus fuerit? Suaſiſſet, credo, ut eos dimitterent, ſed alias rationes adduxiſſet. Quaſnam? Dixiſſet eſſe inſontes? Non habuiſſet locum apud Scribas, qui id non credebant: Et conſilium interea dandum erat de re ambigua. Quid agis Calvine? Si quis Cardinali Turonio ſuper illis quinque religionis hominibus, quos ille Lugduni paulo ante, quam tu Servetum uno rogo cremavit, dediſſet conſiliũ Gamalielis diceresne fuiſſe cęcum? Aut quid ei conſuluiſſes? Vt eos dimitteret: Qua ratione? Quia veram religionem colerent? At hoc non credebat Cardinalis, & ad credendũ cogere tu non potuiſſes. At diſputaſſes. Sed ille diſputationes & rationes tuas non admiſiſſet: Eſt enim Scribarum ſimilis. Adde quod diſputationes longę ſunt, durantque jam annos plus triginta: & præſens captivorum periculũ poſtulat præſens aliquod conſilium. Quid igitur tu Cardinali ſuaſiſſes quo illorum vitæ conſuleres? Nonne videmus in tali cauſa nihil eſſe Gamalielis conſilio prudentius? Non enim de re quæ ſcribis certa eſſet, hoc dicit. Si actum fuiſſet de puniendo adulterio, nunquam dixiſſet: Si a Deo eſt: Certum enim erat adulterium non eſſe a Deo: Nec talia veniunt unquam in deliberationem.

Sed

Sed cũ de Religione ageretur, quę tamen controversa erat, non potuisset etiamsi Christianꝰ fuisset (quod fortassis erat) Iudęis dare consilium melius. Primũ, ratio est vera, Si a Deo non est, sponte pessum ibit. Qualis est illa Christi: Omnis planta, quam meus Pater cœlestis non plantavit, extirpabitur: Sinite eos. Item Davidis qui Saulem interficere cum posset, nolebat. Item exempla, quę adducit Gamaliel vera sunt. Nam Theudas ille & Iudas Galilæus in nihilum abierant. Iam quod metuebat Gamaliel, videlicet, ne cum Deo pugnarent, id illis postea accidit. Quod si Gamalielis consilium semper secuti fuissent, nunquam cum Deo pugnassent. Atque hodie eadem plane ratio est. Si enim Papistæ consilium hoc sequerentur nunquam tot insontes homines punirent: Quod idem dico de Zwinglianis & Calvinianis, Papistarũ hac in re discipulis & imitatoribus. Nunc cum audiunt Gamalielẽ authore Calvino cęcum fuisse, si volunt ducem hunc sequi, erunt plane Gamalieli contrarij, atque ita authore Calvino passim fundetur sanguis, etiam Calvinianorum. Sed hic homo ita crudelis est tamque inexpiabili odio Serveti manes persequitur, ut malit etiam suos a Papistis comburi, quã hoc Gamalielis consilio servari, ne ipse peccasse videatur. Iam quod dicit Calvinus Gamalielis dictũ esse eiusmodi, ut pessundet omnem politicum ordinem, & ecclesiæ disciplinam enervet, non vere dicit. Nam nec Apostolorum diciplina fuit enervis, quæ tamen caruit his Calvini nervis: & ordo politicus manet in peccatis certis & controversia carentibus. In Lege Mosis Mat. 15. 13.

de facilioribus minoribusque causis judicabant 70 Seniores: Difficilioresque causas ad Mosem referebant; Ipse super eis Deum consulebat. Sic hodie fieri potest. De adulterijs, de homicidijs, de falsis testimonijs, & cæteris notis certisque criminibus judicari sine periculo potest: Sed de Hæreticis controversa res est (nam si controversa non esset, non magis de eis disputaretur quam de homicidijs) & ideo ad oraculum referenda. Quemadmodum igitur Moses tempus oraculi expectabat, neque tamē politicum ordinem interea pessundabat: ita nobis temp⁹ Iudicij Dei expectādum est, quod erit certum super hisce controversijs oraculum. Interea nihilominus utetur Deus suorum ministerio in rebus controversis.

Calvinus. 102.

Acto, 23. 29. Claudius Lysias Felici scribit, se nullum in Paulo reperisse crimen, quia tantum cum Iudęis de Lege disceptet: Nō quod probet Pauli causam, sed quia Legem susque deque habet, imo cuperet prorsus esse abolitam, ideoque gaudet intestinis dissidijs convelli. Tam boni, scilicet patroni voce, judicij laqueos dissolvere conatus est Servetus, quasi cœleste esset oraculum quod Lucas a tam malo authore profectum esse recitat.

Vaticanus.

Missus erat Lysias, ut de maleficijs aut facinoribus judicaret. De Lege vero non magis judicare poterat, quam de musica. Itaque quod de re sibi neque nota, neque commissa judex esse noluit, sapuit. Quod si sapuisset & Genevensis Magistrat⁹, nunquam de Serveto judicasset, non

magis

magis quã de musica.Nã quid sit Hypostatice & cognotative, & cætera nunquam in Biblijs lecta verba,quę in causa Serveti feruntur, & omnino quid sibi velit tota hæc Calvini de Trinitate spinosa & tenebricosa , nec ipso Calvino satis explicata disputatio, certo scio non magis novit Magistratus Genevensis, quam Lysias noverat Pauli causam.Ostendunt hæc Literæ eorum ad Helveticos Ministros,in quibus scribunt,se non dubitare de fide Ministrorum suorum,quasi hoc dicant.Iudicare se aliena fide,alienisque oculis.

Calvinus.103.

Obijciunt tandem : Cum jussus est Petrus gladium in vaginã recondere, Dominum satis clare testatum esse, quam sibi non placeat violenta & armata Evangelij defensio.Sed quid si excipiam,ne verbis quidem coram Pilato suam innocentiam asseruisse, ut jure poterat ? Mat.26. 52.

Vaticanus.

Ioh.19. 9.

Hoc mihi videtur contra Calvinum esse. Si enim ne verbis quidem pugnavit,quanto minus ferro?

Calvinus.104.

Si decreto Patris obsequi volens, quasi agn⁹ coram tonsore obmutuit, & tantisper a prędicando Evangelio abstinuit,dum sacrificio mortis suę peccata expiaret,miramur si Petrum a cæde prohibuerit?

Vaticanus.

Etiam ejusdem Patris Decretum est ut compatiamur,si conregnare volumus.

Rom. 8. 17.

Calvinus.105.

Verum aliud est quod respondeam . Ius stringendi gladij Christus ministro suo non concedit: temere enim homo privatus arripuerat. 2.Tim.2. 11.12.

Vaticanus.

Et tum homo privatus erat, cum Ananiam & Saphiram stravit. Sed dic mihi Calvine, cum Servetum accusasti, nonne privatus homo gladium arripuisti? Nam qui accusat, interficit. Non tu quidem tua manu, sed ne Herodes quidem Iohannem sua manu.

Calvinus. 106.

Tumultuose non vult repelli milites, a quibus vinciendus erat, nempe ne hanc infamiam subiret, quasi aleret pro Evangelij ministris sicarios.

Vaticanus.

Hanc Infamiam non timuit Calvinus.

Calvinus. 107.

Hinc colligi nulla ratio patitur, Principum manus ligari, ne ordinarium munus suum exerceant.

Vaticanus.

At nos ordinarium munus esse Principum negamus.

Calvinus. 108.

In summa, vi Petrum grassari non ideo vetat, vel ut Magistratus exarmet, vel ut eos repellat a Iusta Evangelij propugnatione (.1.) Sed quia non vult illum ruere præcipiti impetu extra vocationis suæ metas, nec morti suæ, qua reconciliandi erant homines Deo, quicquam moræ afferri.

Vaticanus.

Magistratus officium Christus hoc loco non attingit. Nam si Magistratus officio suo functus fuisset, Christũ nõ comprehendisset sed adversus illos defendisset, non propter fidem aut Religionem, sed propter innocentis hominis defensionem in lege præscriptam. Cur Petrum uti gladio prohibuerit, causam ipse dicit: Calicem quem mihi dedit Pater non vis vt bibam? Hunc

cali-

calicem Calvin⁹ alijs propinare novit, non ipse bibere, nihil enim eum ad se pertinere putat, quasi eum sic potaverit Christus, ut nobis potandus non sit: Nec est Calvinus ex eorum numero, quibus dictum est: calicem quidem meum bibetis (1) Calvini vocatio longius porrigitur quam Petri: Huic enim occidere licet, sed aliena manu. *Mat. 20.*

Calvinus 109.

Hactenus quecuncque ab adversa parte obtendi solent bona fide retuli, & me satis doluisse arbitror.

Vaticanus.

Imo multa alia solent obtendi, quæ extant in illo de hereticis libro, quem suprà citavimus; Quorum nihil vere diluit Calvinus.

Calvinus. 110.

Super est, ut non modo liberum esse Magistratibus doceam pœnas sumere de cœlestis doctrinę corruptoribus, sed quod illis nolunt licere (1) imperiti, divinitus esse mandatum, ut pestiferis (2) erroribus impuniatem dare nequeant, quin descifcant ab officij sui fide.

Vaticanus.

Imperitos vocat Augustinum, Hilarium, Chrysostomum, Lutherum, & cęteros, quorum tamē testimonijs, presertim Augustini, doctrinā suam sæpe fulcire solet. Credamus igitur imperitum esse eum, qui imperitorum testimonijs nitatur, aut peritos appellet eos, quorum testimonijs nitatur. 2. Erroribus dat veniam Lex, etiam si quis hominem per errorē interfecerit, qui tamen error est Lethifer.

Calvinus. 111.

Ac primum quidem hoc dictare naturæ sensum, ut in omni politia bene composita, principium teneat religio, & Legum præsidio integra servetur, testes sunt ipsi increduli: Legantur Philosophi, quicuncque hoc argumentum tractarunt. Certe incipiunt a Divino cultu, & eo religionis genere, quod optimum esse putabant, ut secundum eos barbarus sit & insipidus legislator, cui pietatis erga Deos prima non est cura. Pudendum vero nobis erit, illos in tenebris vidisse, quod nos in luce fugiat. Nec superstitioni tribui potest, quod illi in Legibus suis religionis costodiam complexi sunt. Vaticanus.

Paulo ante repudiavit exemplum Lysię, quem malum authorem appellavit. Nunc exemplo nititur incredulorum. Cur potius incredulos imitemur, quam Lysiam? Neque tamen nego admittendum esse, si quid in illis boni fuit, Sed quod idem Lysiæ negetur, hoc vero indignor. Preterea cum Legislatores illi multa vitiosa tradiderint, nolo eos sequi, ne in ijs quidem quę bene tradidisse videantur, nisi ea mihi aliunde constent. Periculosum est enim ei credere, qui te aliquando decepit. Tradiderunt non esse admittendos Deos novos aut advenas: hac de causa Christum repudiarunt Athenienses philosophi; & Elymach⁹ Romanis suasit, ut Christum repudiarent, quod nov⁹ Deus esset. Quod si authores hos, quos nobis commendat Calvinus, secuti fuissent maiores nostri, nunquam Christum accepissent, & nunc si nos illos sequi volemus Christum repudiabimus, & ad Philosophiam scientiamque vanam (ut Pauli verbis

Coloss. 2. 8.

vtar

utar) revertemur, quę nos deprędetur Christoque privet. Itaque ſi ſtatuiſſent illi religionem ferro eſſe defendendam, nollem eos ſequi, niſi aliunde certum teſtimonium haberem. Sed ne id quidem ſtatuerunt, quod ſciam. Religionis quidem in ſuis Legibus rationem primam habuerunt, ſed non ut eam ferri præſidio ſic ſepirent, ut vult Calvinus: Nam Cicero in 2 de Legib⁹, ubi teſtatur ſe optimas & reipub: conſentaneas daturum ſic Leges exorditur: Ad Divos adeunto. Caſte pietatem adhibento. Opes amovento. Qui ſecus faxit, Deus ipſe vindex erit. Et paulo poſt hunc locum declarans, ſic loquitur: Quod autem non judex, ſed Deus ipſe judex conſtituitur, præſentis pœnæ metu religio confirmari videtur. Et paulo ante hunc locum: Legem perjurij his verbis concepit. Perjurij pœna divina exitium, humana dedecus. Vides hic impietatem & impium gladio non ſubijci. Fecerunt enim illi Legiſlatores duo genera peccatorum, quorũ alia Deo punienda reliquerunt, ut ea quæ modo diximus: Alia quia læderent homines, hominibus punienda mandarunt, ut ipſe Cicero in eodẽ loco ſcribit: Sacrum ſacrove commendatum qui clepſerit, rapſeritque, parricida eſto. Perjurij pœna divina exitium, humana dedecus. Inceſtum pontifices ſupremo ſupplicio ſanciunto.

Calvinus, 112.

Quid enim abſurdius eſt, cum furta ſevere puniat. Iudex, ſacrilegijs licentiam dare? Cum ſuum cuique honorem ſalvum tueatur (1) lacerandã impijs exponere Dei gloriam?

Vaticanus

Argumentũ a minori ad maj⁹, ſi minora pecca ta

puniuntur, magis decet majora puniri. Ac primum peccat ipse contra Legem hanc in suis illis, quas supra dixi, Legibus, inquibus leviorem pœnam statuit avaritiæ mendacio, calumniȩ & Iracundiȩ, qnam lusionibus & choreis: Deinde in tota Genevensi republica, cum ibi furtum & falsæ monetæ cusio aperte contra Mosis Legem plectantur: adulterium autem & inobedientia in parentes (quæ longe graviora sunt, & in lege capite sanciuntur) non plectantur. Quid si hæc a Magistratu suo non petit, cur hic tantopere urget? Sin petens non potest obtinere, habet inobedientem & malum Magistratum. Ideoque ei non debuit permittere ut hæreticos persequatur, cum eam persecutionē non nisi bonis permittendam esse docuerit. Deinde peccat quod de hæreticis disputans sacrilegia nominat, quasi vero idem sit sacrilegium & hæresis. Postremo quod indistincte argumentari solent quidam: Si Magistratus est defensor secundȩ tabulȩ, quanto magis primæ? Hæc sunt sophismata otiosorum hominum, quibus imperitum vulgus illaqueant. Sic enim eorum more argumentari liceret: Si pastores possunt Magistratuum animis imperare, quanto magis corporibus? Si verbo possint ligare animas, quanto magis ferro corpora? Si verbo licuit Petro sternere Ananiam, quanto magis Malchum ferro? Si Eliæ fas fuit ignem de cœlo devocare ad comburendos Regis nuncios, quanto magis Apostolis ad comburendos Samaritanos? Si Mosi licuit occidere Ægyptium, quanto magis Christo? Hęc suut omnia fallacia, quibus isti sophistæ ad sanguinem fundendum homi-

homines inpellũt. Res sic explicari potest: *Si furtũ punitur, quanto magis punietur Hypocrisis, & avaritia, & Invidia? etc.* Recte: sed furtum ab hominibus, Hypocrisis a Deo. Si punitur qui lacerat honorem hominis, quanto magis qui Dei? Recte: sed hic a Deo, ille ab hominib⁹. Punit enim Magistratus actionem, Deus cogitationem: Hic ebrietatem, ille ebriositatem: hic furtum, ille furacitatem; Hic corporis, ille animi adulterium: hic raptum, ille rapacitatem: hic stuprum, ille stuprandi voluntatem: hic homicidium, ille odium: Denique ille radicem, hic ramos: hic rivum, ille fontem: hic corpus ille animam, Hæc nisi sic distinguamus, omnia confundemus (1) Lacerabat Dei gloriam Herodes, cum laudante populo ejus eloquentiam, superbiret, nec Deo gloriam tribueret: nec tamen a Magistratu puniri potuisset: nulla enim Lex capite sancit ejusmodi superbiam. Itaque a Deo punitus est, qui animam punit. Idem dico de Nabuchodonosore, qui superbiens dixit, magnā illam Babylonem a se fuisse conditam, propter quem fastum, conversus est in bestiam. Idē dico & de ijs, quos Deus sic objurgat: O filij hominũ, quousque gloriā meam convertitis in infamiam? Quousque amabitis vanitatem & quęritis mendacium? Amare vanitatem est lacerare Dei gloriam. & tamen si vellet Calvin⁹ omnes vanitates amatores puniri a Magistratu, nemo superesset ei qui punire possit ipsum Magistratum, Punientur hęc a Deo non ab hominibus.

Act. 12. *Dan. 4. 27.* *Psal. 4.*

Calvinus. 113.

De perjurijs nemo litē movere audebit, quin

grauiter punienda sit, Cur hoc fatentur, qui hæreticis exhibendam esse molestiam negant? nisi quia perjurijs lęditur humana societas?

Vaticanus.

Lex Rhamia. Perjurium si alteri nocet, ut fit in falsis testimonijs punitur talione, non lege perjurij, sed lege falsi testimonij: Alioquin perjurij pœna est divina, exitium, ut supra ex Cicerone posuimus, ut patet Num. 5. vbi si vxor, viro suspecta de adulterio, adhibita aqua illa dira, id perpetraverit, punitur a Deo, non a Magistratu. Sed esto sane, puniatur perjurium: quid hoc ad hęreticos? Qui peierat, sciens peccat: sicut qui hominem interficit: hęreticus (ut nunc hęretici) non item: Cur in eodem loco ponemus eos qui errantes peccant, cum ijs, qui data opera faciunt? Etiam perjurium inscienter patratum condonat Lex, & ad eam rem institutum est sacrificium. Homicidæ vero, qui imprudens fecerit, venia datur, & postliminium post mortẽ Põtificis. Cur non errantibꝰ idem pręstet Christi mors?

Calvinus. 114.

Ergo Dei gloria hominum commodis implicita vindicabitur, vbi autem de sua jactura nemo queretur. i. multa cum ludibrio jacebit?

Vaticanus.

Imo punietur. sed a Deo, ut de Herode & cæteris diximus.

Calvinus. 115.

Supervacuum foret pluribꝰ verbis hoc persequi. Nam cum rectæ politiæ sit finis, legittimi inter homines ordinis conservatio, neglectus autem pietatis ordinem hunc ita dissipet, ut citra ipsam bruta sit hominum vita: mutilam esse gubernationis formam, constat, in qua negligitur religio. Et Magistratus non nisi dimidi-

os esse, & umbratiles qui forensibus tantum negotijs intenti, de asserendo Dei cultu non cogitant.

Vaticanus.

Legittimus ordo est, ut Pastor animas curet, Magistratus vero corpora. Qui animas Magistratui tradit, privat Pastoré officio suo, & omnem pervertit ordinem. Sic Moses præcibus, Exo. 17.
Josua manu bellum gerebant. Solvite quæ Mat. 22.
sunt Cęsaris. Cęsari, & quæ sunt Dei Deo. 21.

Calvinus. 116

Huius rei illustre nobis exemplum, Spiritus Dei proponit in Nabuchodonosor. Nam eius edictum celebrat Daniel: quo capitalem pœnam denunciat, siquis in Deum Israel blasphemus fuerit. Dan. 3. Honor profecto non vulgaris crudeli tyranno habetur, cum Prophetā suum dominus, ad publicandas, quas tulit Leges, quasi pręconem assignat, & Leges ipsas in acta sua refert, sacrisque suis oraculis annumerat. Quid? An Spiritus sancti & prophetæ elogio laudatur Nabugodonosor, qui veri Dei gloriam pro imperio tutandam suscepit, ut ad impiam eius prophanationem coniveant sancti Magistratus? Ac non potius his Dominus, sub prophani regis persona, quid ipsos deceat pręscribit?

Vaticanus.

Cum ante tanto fastidio repudiaverit Calvinus consilium Gamalielis, cur nunc tantopere Nabugodonosoris celebret quæ causa sit non video, nisi quód illud erat mitius, hoc durius, ne dicam sævius: & Calvinus omnia sæva libenter amplectitur, mitia reijcit. Nam quod dicit hoc edictum a Daniele celebrari, idem de Gamalielis consilio dici potest; Sic enim illud

narrat

narrat Lucas, quomodo hoc Daniel: neuter ſententiam ſuam interponit, rectum ſit, an non ſit. Sed Calvinus homo Nabugodonoſorianus, hoc ſupra modum extollit, illud cæcum eſſe refert. Mihi vero Gamaliel mollior & novo fœderi aptior eſſe videtur. Nabugodonoſor ſapit ferrum & plane crudelem tijrannum, quemadmodum eum appellat ipſe Calvinus: Ac eadem temeritate videri poteſt hoc edictũ

Dan. 2. promulgaſſe, qua paulo ante voluerat interficere ſapientes ſuos, quia ſommium explicare neſciviſſet: aut qua Danielem adoraverat, & ei ſacrificium ſuffitumque fieri imperaverat. Quod ſi placet hoc imitari, ſacrificetur etiam Calvino, non ſolum Deo. Talis erat illorum

Act. 14. non imitanda temeritas, qui Paulo & Barnabæ ſacrificium facere volebant, & mox facillime mutati, Paulum lapidarunt. Sic hic Nabugodonoſor, poſtquam mortem minatus eſt omnibꝰ qui male loquerentur de Deo Sidraci, Miſaci & Abdenagonis, tantum ipſemet abfuit, ut ei Deo dignam gloriã tribueret, ut quemadmodum capite ſequenti narratur, adverſus eum immodice ſuperbiverit, & eam ob cauſam in brutam naturam converſus fuerit.

Nota. Sed fuerit ſane juſtum hoc tyranni edictum, quoniam Calvinus tyrannnorum facta libenter approbat, tamen non eſt in novo fœdere imitandũ. Poteſt reſponderi: Neſcitis cuiꝰ ſpi-

Luc. 9. 55. „ ritꝰ ſitis, filiꝰ hominis non venit ad perdendũ
„ ſed ſervandum. Si noluit Chriſtꝰ ut Apoſtoli
„ Eliam, Privati privatum, Prophetæ Prophetã imitarentur, quanto minus vellet ut Chriſtiani Magiſtratus cruentum tyranni edictum imitentur?

tentur ? Verum esto, concedamus omnia sæva Calvino, sit imitandus sane tyrannus, quid inde consequetur ? Interficiendos esse omnes qui de Deo Israel maledicunt: at huc quidem lege nemo interficietur: omnes enim Deum confitentur, Sed hæc ad Christum transferamus: Interficiendi erunt Iudæi, qui de Christo maledicunt. Hæc nihil ad hæreticos, qui Christū confitentur, etiamsi errent. Nam errare non est maledicere: Quemadmodum si quis Calvinū errans diceret esse alba veste indutū, cum sit rubra, non continuo de eo malediceret. Enimvero si placet imitari edicta Regū, imitemur Cijri edictum, quem Esdras longe magnificentius celebrat, quam Daniel Nabugodonosorem. Est enim factū instinctu divini Spiritus, quo edixit ut Iudæi, qui in eius regno degerent, Hierosolimam profiscerentur, sed neminem coegit. Sic nos ad pietatem neminem cogere conemur: Nam invitus nemo fiet bonus, Et qui ad fidem cogere volunt homines, perinde faciunt, ac si quis in os recusantis ægroti baculo cibum intruderet. Sacrę literæ cum de docenda charitate loquuntur, utuntur verbo persuadendi: Isti non verbis persuadere volunt, sed ferro cogere: Ergo Christianos habent ferreos, sicut Evangelium ferreum. Sed pergamus, & omissis Calvini jam satis refutatis exclamationibus, ad rem veniamus.

Esdr. 1.

Calvinus. 117.

Sed jam audiamus quid juris dominus statuerit in sua ecclesia: Postquam enim prophetam & Somniatorem, qui populum abducere tentáverit a recto pietatis cultu, jussit occidi, eandē *Deu. 13.*

pœnam

pœnam extendit ad singulos his verbis: Si inci-
Deu. » taverit te frater tuus, filius matris tuæ, aut filius
13. » tuus, aut filia tua, aut uxor quę est in sinu tuo,
» aut proxim⁹, quem habes quasi animam tuam,
» secreto dicens: Eamus & serviamus Dijs alie-
» nis, quos nec tu nosti, nec patres tui, non acqui-
» esces ei, nec audies eum: Non percet ei ocu-
» lus tuus, nec ei propitius erit, ut occultes eum:
» quum potius occidendo occides eum & manus
» tua prima sit, ut illum interficiat: Deinde man⁹
» totius populi: Opprimes autem eum Lapidib⁹.
» Vaticanus.

Hæc nihil ad Hæreticos: nullus enim eorum dicit: Eamus & serviamus Dijs alienis: Quin profitentur omnes eundem Deum, quem nos agnoscimus, & patres nostri. Nec quisquam nos ad Baalis, aut Astharoti, aut Neptuni cultum impellit. Quod si dicet Calvinus eos, qui pravæ intelligunt sacras scripturas, Deos alienos colere, male dicet: nam & Saducęi eas prave intelligebant cum resurrectioné negarent, qui error erat certe gravior, quam ullus Serveti: Itemque cum de Dei regno circa connubia carnaliter sentirent: Nec tamen unquam
Mat. 22. accusati sunt huius criminis: Nec Christus
29. eos alieni Dei cultores appellavit, sed errare dixit, nescientes scripturas, & eos benigne
Ioh. 20. docuit. Erravit & Thomas & quidem gravi-
25. ter, qui Christum resurexisse non ante credere voluit, quam vidisset, cum tamen & Christi antegressam prædicationé, & Apostolorum omnium consentiens testimonium haberet. Er-
Act. 10. rarunt & ipsi Apostoli, qui primum non putarunt in Evangelij gratiá admittendas esse gentes, qui error tanti erat momenti, ut nos omnes a gratia excluderet neque tamé idololatræ, aut

impij

impij aut blaſphemi fuerunt, Poſtremo Papiſtas ipſe Calvinus non ſolum errare, aut Hæreticos eſſe, ſed impios & blaſphemos & alieni dei vel potius Deorum cultores & Antichriſtos eſſe contendit. Quod ſi habent alienum Deum, baptiſant pueros in nomine alieni Dei. Atqui Calvinus ipſe ab eis baptiſat⁹ eſt & baptiſmum hunc ratum habet. Quod ſi is baptiſmus verus eſt, oportet ut habeant Hæretici Papiſtę verum Deum: Ita fit ut non debeant Hęretici inter alieni Dei cultores numerari: Sin malus eſt baptiſmus, debet Calvinus rebaptiſari, nec dum eſt Chriſtianus. Sin alienos Deos interpretatur peccata, Avaritiam, Luxuriam, & cętera, que Dij in novo Teſtamento vocantur (quorũ Deus venter eſt, inquit, & avaritia, quæ eſt Idolorum cultus) & ſignificata ſunt per illos veteris Teſtamenti peregrinos Deos, hæc nihil ad magiſtratum; Ipſe ſibi quiſque Magiſtrat⁹ eſſe debet, in hoc negotio, ut docet Chriſtus: Si oculus tuus, aut manus, aut pes te impedit, abſcinde. Hæc eſt vera illa lapidatio, quæ hac Moſis Lege ſignificatur: Ad quam ubi ventum eſt, finem habet illa: Sicuti finem habent umbræ Legis, poſtquam Lux venit. Quod ſi Calvinus volebat ſervare Legem, debebat Servet⁹ non comburi, ſed a populo Lapidari, & Calvinus ipſe, ut Innocentiſſimus, primum lapidem jacere.

Phil. 3. 19.
Col. 4. 5.
Mat. 5. 29.

Calvinus 118.

Eant nunc & crudelitatis Deum accuſent, quibus inſtar venialis Delicti eſt a pura fide & Dei cultu defectio. Vaticanus

Quinam ij ſint neſcio. Mihi videtur hæc defectio graviſſimum & plane Lethale peccatum, & ita Lethale ut ab hominib⁹ (qui ęternam mor-

tem

tem non habent) puniri non possit, sed tantum a Deo igni æterno, ut ostenditur in Epistola ad
Heb. 10. Hebræos: si volentes peccaverimus (inquit) post acceptam cognitionem veritatis, non ultra pro peccatis relicta est hostia sed formidabilis quædã expectatio Iudicij, & ignis vehementia, qui devoraturus est adversarios. Sed hęc defectio est in spiritum sanctum, cuius pœna Magistratui non datur, sed Deo reservatur. Et Calvinus de hęresi disputaturum se pollicitus, huc divertitur, quasi sit idem: Vt eos, qui ab eo dissentiunt (quos hæreticos appellare solet) omnibus infamib⁹ nominibus obrutos possit opprimere. Hãc eandem artem exercuerunt olim Scribæ & Pharisæi. Calvinus. 119.

Ceterum antequam ultra progrediamur, duo notare operæpretium est. Neque enim religionem, qualiscunque tandem sit, tam severe conservat ac sancit, sed quã verbo suo instituerat. Deinde lapidationis pœnam in exteros non edicit, sed qui Legis doctrinam professi perfide ab ea desciverunt. Ita tolitur offensio, quæ multos imperitos fallit, dum metuunt ne hoc prætextu ad sæviendum armentur Papæ carnifices. Nam si Dominus populo suo certam pietatis regulam ante patefecit, quam pœnis subijceret apostatas, quisnam mortalium sibi hoc sumere audebit, ut doctrinæ genus suo vel alterius arbitrio confictum, gladio & pœnis sanciat? ergo non vaga & cæca potestate instruimus Magistratus, ut eorum præsidio sine delectu recepta quævis religio in suo statu maneat: Sed tenendam esse contendimus Legem divinitus præfixam, ut compertæ veritati succedat de-

mum

mum pœnarum sanctio.

Vaticanus.

Omnes sectę religionem suam verbo Dei tuentur, certamque esse dicunt. Itaque omnes Sectæ hac Calvini norma armatæ alias persequentur. Dicit Calvinus suam esse certam, & illæ suam: Dicit illas errare, & illæ eum: Calvinus vult esse Iudex, & illę volunt. Quis erit Iudex? Quis Calvinum constituit omnium sectarum Iudicem, ut solus alias possit occidere? Quo Iudicio ostendit se solum sapere? Habet verbum Dei, & illę habent. Si ita certa res est, cui certa est? Calvino? Ei alij putant sibi esse certam, Sed cur tot Libros scribit Calvinus de comperta veritate? Cur nullum librum scribit, quo ostendat homicidium, aut adulterium esse flagitium? Quia certa res est. Cur nemo comburi se patitur ut neget vera esse, quę sunt in sacris literis? Quia omnibus in confesso res est. Cur ergo existunt, qui interfici se substineant propter rebaptisationem, & alia quędam, cum tamen sacras literas admittant & revereantur? Nonne quia controversa res est? Quod si Calvinus omnia jam perspecta & cognita habet, cur non expectat, donec alij quoque ea perspiciant? Cur eos interficiendo efficit, ut discere non possint? Duodecim sunt horę diei: potest quis hora vndecima discere: qui scis (inquit Paulus) utrum uxorem tuam servaturus sis? Quod si sperari vult adhuc Paulus de conjuge infideli, qui tamen quotidianis conjugis admonitionibus nondum revocari potuit, cur non & de hęreticis sperari possit?

Calvinus. 120

Quare non est ut sibi blandiantur errorum patroni, qui in fundendo innoxio sanguine stulto suo zelo & ignorantiæ indulgent, ut saltem Inquisitionis onus in alios reijciant, ut sibi (1) ex alienis responsis sanctos Christi martyres crudeliter interficere liceat.

Vaticanus.

Tu eis fenestram aperis isto Libro, non minus quam tuis. Cum enim putent se cultũ præstare Deo, dum pios interficiunt, & insuper exhortatione tua impellantur (neque enim eis adhuc persuasisti eos esse malos, ut sibi a persecutionibus abstinendum, & eas Genevensibus permittendas existiment) ferentur deinceps precipites in sanguinem, sicut tu, & quicunque ab eis dissentiet, eum interficient, sicut tu: ut nullus unquam Nero, nullus Caracalla, nullus Heliogabalus, non universi denique Tyranni unquam tantũ sanguinis fuderint, quantum tu & Zwinglius vestris istis cruentis & sanguine exaratis dictis & scriptis & hactenus effudistis & deinceps effundeatis, nisi respiciente genus humanum Deo, principes & Magistratus a vobis fascinati atque coecati cæperint oculos aperire, & suum vobis in hauriendo sanguine ministerium deinceps denegare, (1) Sicut Genevensis senat⁹ ex Calvini & eius sociorum responsis hominem interfecit, de quibus caussis non magis judicare poterat, quam coeci de coloribus.

Calvinus, 121.

Ad hęc solvitur quorundam objectio, qui rogant, an gladio adigendi sint ad Christi fidem Iudęi, Turcæ, & similes. Neque enim in omnes

pro-

promiſcue gladium ſtringi jubet Deus: Sed A-
poſtatas, qui ſe impie alienaverint a vero cultu,
& alios ad ſimilem defectionem trahere conati
fuerint, juſtę poenę ſubijcit.

Vaticanus.

Poſtula a me (inquit pater filio) & tibi dabo *Pſal. 2.*
gentes Hæreditaté, & fines terræ poſſeſſionem.
Itē filius: Mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo *Mat. 28.*
& in terra. Itaque cum ſit totius orbis rex, nulla *18.*
gens poteſt excludi, quin ea ſit Chriſtianorum
gladio perſequenda. Si vera eſt Lex Calvini, Iam
vero Turcę & cęteri in Aſia ſunt Apoſtatę: ibi e-
nim predicatum & creditum fuit Evangelium:
Itaque ij maxime eſſent perſequendi. Quid de *Deut. 18*
Iudęis dicam, quibus dictū fuit, Prophetam vo-
bis ſuſcitabit Dominus &c. Cui ſi quis non pa-
ruerit, morietur. Iam hunc prophetam Chriſtū *Act. 7.*
eſſe oſtendit Stephanus: Quem Chriſtum cum
repudiaverint Iudęi, ij maxime digni ſunt ſup-
plicio. Quod ſi hęreticos habet Calvinus pro A-
poſtatis, cum Papiſtas Hęreticos judicet, debe-
ret eos in primis perſequi, & coacto Gęneven-
ſium exercitu, Galliam in primis invadere, quæ
a vera Apoſtolorum religione defecerit. Quod
ſi negabit habere ſe ſatis viriū, reſpondebitur:
Nolite eos timere, unus veſtrū fugabit centum,
& centum fugabunt decem milia. Quod ſi ne
ſic quidem audet, debebat ſaltem Cardinalem
Turonum compręhendere, qui per Genevā pau-
lo ante mortem Serveti tranſijt, proficiſçens (id
quod ſciebant omnes) ad comburendos pios ho-
mines, qui erant Lugduni in vinculis, quos &
paulo poſt combuſſit. Hic, hic debuit, ſummitei
coquus ille Calvini, aut ipſe Calvinus carnificem

illum Cardinalem accusare: Servasset vitam illorum. Sed mavult cum Papistis conspirare, seque sepmer cum potentioribus conjungere.

Calvinus. 122.

Nunc vero quisquis hæreticis & blasphemis injuste pœnam insligi contendet, sciens & volens eodem se obstringet blasphemiæ reatu.

Vaticanus.

Quoniam nullũ in sacris literis locum invenit, qui jubeat heræticos interfici, jungit eos malitiose cum blasphemis, ut si quis eos a morte vindicare velit, gravetur invidia societati nominis, quasi qui blasphemis patrocinari velit. Sic fecit in Libro, quem scripsit contra Anabaptistas & Libertinos, in quo ut gravet Anabaptistas conjungit eos cum Libertinis, cum duæ illæ sectæ non minus sint inter se contrariæ, quam Calvin⁹ & Servetus. Didicit hanc artem a Iudæis qui Christum inter latrones crucifixerũt. Pergit deinde exaggerare pietatis studium, Iubet facessere paternum amorem, quicquid est inter fratres, propinquos & amicos benevolentiæ, atque id totum facit ut inimicos suos possit opprimere. Nã si esset ipse tam studiosus servandę Legis quam simulat, cœpisset a suis (ipse me intelliget cum hæc leget) Cur incipit ab hæreticis, quos nusqã lex nominat? Cur non potius ab adulteris, quorum magnum habet numerum Geneva, & quorum pœna in Lege nominatim sancitur? Quod si hæc non impetrat a Magistratu, qualem habet Magistratum? Cur ab eo facilius impetrat de incertis hæreticorum erroribus, quam de certis adulterorum flagitijs? Nec ego hæc dico, quod velim Mosaica pœna puniri

adul-

adulteros. Malim alios etiam pœnas molliri quam hanc intendi, & ad Mosem revocari: scio quales sim⁹ hodie homines: si omnes morte puniremur, qui mortem secundum Legem Mosis meruimus, bone Deus quis evaderet? Sed cum Calvinus nos ad legem illam tam severe vocet, indignum est eum ad tam nota crimina connivere, præsertim cum Magistratum habeat ita obsequentem, ut per eum possit interficere, quos nusquam jubet Lex interfici, ne quid interim dicam, quod monetę falsarios & fures Genevę contra Legem patiatur interfici, cum Lex fures non morte, sed mulcta puniat. Iam illud per Deum quale est, quod Legē citat de evertendis funditus urbibus colentium Deos alienos, etiam una pecorio & supellectili? Ergo si vires nactus fuerit Calvinus, invadet Galliam, cęterasque nationes, quas pro Idololatris habet: Ibit, evertet urbes, homines universos trucidabit, non feminis, non ætate confectis, non Lactantibus parcet: Pecora insuper mactabit, & congestam in medium forum suppellectilem una cum Serveto cremabit. Perpendantur ei⁹ verba: Hæc eo spectant: Huc nos revocat Iudæus iste, qui Mosem velato vultu legit, nec intelligit finem Legis esse Christum, nec patitur illi oraculo dari locum: Filius non portabit iniquitatem patris. Quid enim meruit infans, si pater est idololatra? Nunquam ne relictis legis umbris in Lucem veniemus?

Calvinus. 123.

Sed ubi a suis fundamentis convellitur Religio, detestandæ in Deū blasphemiæ proferuntur, impijs & pestiferis dogmatib⁹ in exitium

rapiuntur animæ: denique ubi palam defectio ab vnico Deo, puraque eius doctrina tentatur, ad extremũ illud remediũ descendere necesse est, ne mortale venenum longius serpat.

Vaticanns.

Hoc nobis monstrum describit Calvinus, quale ego, absit ut velim defendere, pereant per me sane si qui palam defectionem docent ab vnico Deo. Sed tales esse eos, qui a Calvino dissentiunt, & quos habet Calvin⁹ pro hæreticis, ego non credo. Nam multi vel Zwingliani, vel Lutherani, vel Anabaptistæ, vel Papistæ, in rebus gravissimis dissentiunt, qui tamen unum Deum venerantur, venerandumque docent: quin ne ipsum quidem Servetum (quem hic depingere voluit Calvinus) talem fuisse credo. Nunquam enim mori voluisset, potiusque recantasset, ut ita Serveti blasphemiæ, & Calvini innocentia pateret. Oportet in libris ejus fuisse aliquid, quod Calvin⁹ reformidaret. Neque enim combussit metuens ne publicarentur errores Serveti, cum ipsemet Calvinus quos putat illius errores esse detestabilissimos, eos hoc suo libro toti mundo publicarit. Credo Servetum in eo libro detexisse multos errores Calvini, quemadmodũ significare videtur in ipso Calvini libro pag. 223. ubi sic loquitur Servetus: *Vtinam mihi liberum esset errorum tuorum facere Catalogũ.* Itaque metuens Calvin⁹ ne detegeretur, & hominẽ & librũ cremavit. Sed videt eum Deus, cujus non reformidat oculos, omnia patebunt: Nunquã tam multos extinguet Calvinus, quin supersint qui ejus errores videant ac detegant. Quanto ipse se diligentius

&

& diutius texerit, tanto erit postea magis invisus illis ipsis, quos decepit.

Calvinus. 124.

Iudex Moses, quam humaniter in alijs criminibus puniendis se gesserit, constat: in vindicando autem Dei cultu totus ardet. Consecrate inquit, manus vestras, Domino: Nemo fratri suo vel propinquo ignoscat: Vt quisque obvius fuerit, sine venia occidite. An putamus subito furore correptum, ita solitæ clementię, tunc oblitum fuisse, ut sacros Levitas sanguine madefieri juberet.

Vaticanus.

Hic locus Calvinū refellit: Erant illi Levitæ, nos Levitas alios non habemus quam Christū, qui sacerdos est secundum ordinem Melchisedech: & Christiani omnes, qui sunt regale sacerdotium. Quod si Levitarum factum imitandum est, Christo imitandum fuit, qui illis successit, & sane imitatus est. Vt enim illi corporales sacerdotes corporaliter suis fratribus & propinquis non pepercerunt: sic spiritualis sacerdos Christus spiritualiter suis fratribus & propinquis non parcit: Quæ est mea mater (inquit) aut qui sunt mei fratres? Abi post me Satana, inquit Petro. Item qui non renunciaverit patri & matri &c: et adeo sibimet ipsi non potest meus esse discipulus. Hęc est spiritualis illa occisio propinquorum, significata illo facto Levitarum, & declarata nobis ab hoc nostro Levita æterno, quē si retinere volum9, necesse est ut sinamus illas figuras evanescere: sin figuras retinemus, nihil aliud quam Iudęi sumus, & a gratia excidimus, qui sub lege esse volumus: nam utrumque retineri nequit.

Si quidam hunc ordinem regno Christi, quod spirituale est, & præsenti seculo congruere negant, quia nusquam in Evangelio detur tale mandatum. Ergo quia disertis verbis Christus & Apostoli non precipiunt, quo pœnę genere digna sunt adulteria & furta, ideo cessabũt a suo officio magistratus? Si quis excipiat, qui à Christi adventu abolitę non sunt politiæ, sumendas esse dę maleficijs pœnas ut Legibus sunt constituti: nempe huic responso libenter subscribo. (1) Nullos fuisse Magistratus, quibus preciperent Apostoli quod rectum esset, dicere supersedeo. Hoc vno contentus sum, Christi adventu nec mutatum esse politicum ordinem, nec de Magistratuum offitio quicque detractum. Agedũ quod Paulus docet: Non frustra ab ipsis gladiũ gestari, an ad speciem vnam restringi debet?

Vaticanus.

Et si hęc omnia Calvino concederemus, atque adeo vniversam Mosis Legem admitteremus, nihil tamen effecit. Dixerat se ostensurum ferro coercendos Hęreticos, Hęreticus quid sit, nusquam definit: Id quod est valde vitiosum, nusquam rem (præsertim controversam) definire, de qua nominatim disputes, cum disputatio debeat a definitione proficisci. Sed hoc malitiose fecit. Si enim hæreticum definivisset, nusquam Legem invenisset, quæ jubeat eum interfici: maluit ergo rem confundere, & hæreticos blasphemis, & Idololatris, & Apostatis conjungere, vt quos seorsũ occidere non poterat, eos cum cæteris conjunctos necaret

necaret. Sed nobis non satisfacit hæc fraus: Ostendat Calvinus Legem, quæ jubeat hæreticos occidi: Nulla est. At de Apostatis & blasphemis est, Quid nobis cum Apostatis & blasphemis? De hæreticis questio est. De hæreticis legem ostende. An sunt hæretici blaspemi: Defini ergo quid sit hæreticus, idque ex sacris literis, ut intelligamus an hæreticus sit blasphemus. Quis enim tibi concedet eos, qui hodie habentur heretici, esse blasphemos aut Impios? Quis sanus Papæ concedet Lutheranos & Zwinglianos & Calvinianos esse blaspemos, etiamsi ab eo dissentiant in Cœna? quos tamen non min⁹ damnat, quam ipsi Papam. Quis Zwinglio concedet Anabaptistas esse blaspemos, etiamsi ab eo dissentiant in Baptismo? Quis Calvino concedet zwinglianos & Lutheranos esse blasphemos, quos tamē de Cœna damnat in libello suo? Item Lutherum & Brentium & cæteros, qui ab eo dissentiunt in hac ipsa questionæ de persecutione? qua vix ulla gravior esse potest, quippe in qua agitur de vita hominis, propter quē Christus mortuus est. Non est idem blasphemus & errans: debent hec distingui, præsertim in causa capitis, ne ita leviter homines ob ignotū & nusquam in lege nominatum crimen occidamus. Nego vsquam in tota Lege præceptum esse de occidendis errantibus aut hæreticis: & Calvinus nobis jamdudum indignis modis illudit, dum eorum pœnam a Lege petit, & nusquam in Lege nominantur. Nunc venit ad Christum, ut ostendat sub eo manere Legem & eandem dictare etiam in causis Religionis puniendi rationem

Nota



 onem

onem quæ est in lege: Quod si quis ei concederet, tamen ne sic quidem haberet legem ullam de puniendis Hæreticis. Sed quis sanus hoc ei concedet, manere sub Christo legem? Quis sibi Christum eripi patiatur, ut ad Mosē cum Calvino redeat? Sit Calvinus Mosis discipulis cū suis Iudęis: Nobis Messias jam venit Legislator noster, cuius Legi obedire volumus. Sic enim rem consideremus: Lex pędagogus fuit usque ad
Gal. 3. Christum, donec veniret promissum semen: vbi venit Christus, cessat pædagogus, adeo ut eos qui circuncidi volunt, a gratia excidisse dicat
Gal. 5. Paulus. Atque in Mosis politiam nemo admittitur sine circuncisione: Ea enim est in eam ingressus: Itaque qui sub Mose esse volunt, circuncidi debent, & totam Legem implere. Legatur diligenter epistola ad Galatas, itemque
Heb. 7. ad Hebræos, in qua ostenditur Araonicum sacerdotium translatum esse, ad tribum Iudę, hoc est ad Christum, qui sit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, ubi disertis verbis dicitur, quod dum transfertur sacerdotium, necesse est ut Legis quoque translatio fiat. Hic vides transferri Legem, videlicet a Mose ad Christū, ab umbris ad Lucem, a figuris ad rem ipsam, a carne ad Spiritum. Quod autem dicit Paulus Legem esse spiritualem, hoc ipsum est quod volo. Legis mens est spiritualis, sed actiones externæ carnales. Circuncisio spiritualis est, de qua
1. Cor. 3. Moses loquens dicit: Circuncidite cordis vestri
15. præputium: Sed hanc Circuncisionem non intelligebat Israelitarum populus: Itaque inhęrebant carnis manufactæ circuncisioni: id quod osten-

ostendit Paulus, cum dicit eos velatum cor habere, dum legitur Moses, nec animadvertere finem abolende Legis. Sed qui ad Christum venerunt, ijs velũ sublatum est, & a Christo abolitum. Et habent legis spiritum, hoc est, circuncisionem cordis. Huc enim mittit homines Lex, sed non perducit, quin manet ultra Iordanem. Cum sit autem Lex partim Ceremonialis, partim Iudicialis (de morali in presentia non loquor) utraque pars translata est. Nam sacrificia illa migrarunt in sacrificium Christi, & in eo finem habent, sicut litera in Spiritu. Iudiciorum vero factam esse translationem, ostendit translatio peccatorum, quorum puniendorum gratia constituta fuere Iudicia. Peccatum fuit operari die Sabbathi, huic peccato constituta pœna fuit, mors corporis. Nunc Sabbatum illud corporale, translatũ est in spirituale, quod idẽ dico de peccato: Nam qui die Sabbathi operatur, non peccat: Qualis igitur erit pœna violati spiritualis Sabbathi? Nimirum spiritualis. Idem dico de Circuncisione, ut quemadmodum tum occidebantur eorum corpora, qui corpora haberent incircuncisa durante circuncisione corporum: Ita nunc eorum corda occidantur, qui corda habebunt incircuncisa, postquam nobis ostensa est, & carnali successit cordis circuncisio. Itaque hic nullum locum habebunt judicia Magistratus. Vt in Lege Mosis: Non enim cor incircuncisum possunt attingere, sicuti corpus. Idem dico de lege illa. Prophetam de Gente tua & de fratribus tuis (Dicit Moses) sicut „ me

1. Cor. 3.

Tota lex translata.

Deu. 18.

me, suscitabit tibi Deus tuus, ipsum audies. Qui autem verba eius audire noluerit, ego ultor existam. Atque hanc legē confirmavit Popul⁹, cum dixit Iosuę Prophetę: Qui contradixerit ori tuo, & non obediverit cunctis sermonibus tuis, quos præceperis ei, moriatur. Hic video pœnā corporalem. At ubi ad Christū ventū est, qui ver⁹ ille Propheta est, ut ostendit Stephan⁹, & de quo Pater sic præcepit: Hunc audite: Pæna est animorum, non corporum, si quis ei non obediverit, ut docetur in epistola ad Hæbreos: Irritā quis faciens Legem Mosis, duob⁹ vel trib⁹, testib⁹ moritur quāto graviore putatis afficietur supplicio qui filiū Dei conculcaverit, & sauguinem Testamēti pollutū dixerit, in quo sanctificat⁹ est, & spiritui gratiæ contumeliā fecerit? Scim⁹ enim qui dixit: mihi vindictā, & ego retribuā. Et iterū: Iudicabit deus populū suū. Horrendum est incidere in manus Dei viventis. Vides hic pœnam incredulitatis aut defectionis a Christō non mandari magistratui, sed viventi Deo reservari. Quod si ea magistratui commissa foret, deberent Iudęi in primis secundum hanc legem puniri, quia Prophetā illum Christū eis a Deo suscitatum audire noluerunt, quos tamē Calvin⁹ (supra) ab huius sui magistrat⁹ gladio exclusit. Igitur quemadmodum credentibus Christo vita, non vita temporalis, sed æterna promittitur: ita incredulos mors, non tēporalis, sed æterna manet. Atque quo modo puniendi sint, qui in Legem Mosis peccaverint, ex ipsa lege discendū est: Ita quomodo puniendi sint, qui in Christum peccaverint, ex ipsa Christi lege discen-

Iosue.1.

Act.7.

Heb.10.

discendũest, quæ sic habet: qui non crediderit, damnabitur, hoc est, pœnas Deo dabit, non hominibus. Quod igitur quærit Calvinus, quod Paul⁹ docet, non frustra ab ipsis gladiũ gestari, an id ad speciem unam restringi debeat, id totũ contra Calvinum est. Si enim vult hoc intelligi de utraque specie, hoc est, de causis tum religionis, tũ civilibus, oportet ut reddat nobis Calvinus omnes legis Ceremonias & sacrificia, ut qui in ea peccaverint, ij ex lege puniantur: oportet ut reddat Asijla, ut qui hominem imprudens occiderit confugiat in Asijlum usque ad mortem Pontificis, ut ita novum Iudaismũ habeamus. Quod si dicit ceremonias illas migrasse in alias, videlicet Circuncisionem in Babtismum, & Pascha in Cœnam: primum quęram, cur cętere ceremoniæ, quoque non migraverint in alias: an perierint, an vero in rem ipsã migraverint? Quod si in rem migraverũt, ut Aaronis pontificatus corporalis in spiritualem Christi, quæro cur non dici possit etiã Circuncisionem carnis migrasse non in Lotionem carnis sed in circonscisionem cordis, ut Babtismus & Cæna sunt novæ Ceremoniæ novi testamenti, quę tamen idem significant quæ illę. Deinde quæram cur non etiam pœna mutata sit mutatis Ceremonijs? an debeant eadẽ pœna puniri, qui peccaverint in has ceremonias, qua puniebantur qui peccabant in illas. Si debent, oportet Calvinum puniri, qui pueros non baptiset octavo die. Item quod aliquando noluerit Cœnam administrare panibus infermentatis, cum per dies Paschæ fermentum Lex interdicat. Oportet & eos qui ad Cœnam domini non accedunt, aut qui indigne comedunt

occidi,

occidi, sicut occidebantur qui Pascha negligebant, aut non recte agebant. Sin dicet aliam nunc esse poenam, videlicet spiritualem, ut qui indigne manducet, judicium sibi manducet, hoc est, poenam spiritualem a Deo, non corporalem a Magistratu, id ipsum est quod volum⁹, migrasse videlicet poenam corporalem in spiritualem, quæ qualis sit, discendum est a novo Testamento, non a veteri cum illud nullam de Baptismo & Cæna Legem tradat. Ita fiet ut in causis Ceremoniarum, aut Religionis nullum locum habeat gladius corporalis, quippe qui migravit in spiritualem. Quod autē dicit Paulus, Magistratū non frustra gestare gladiū, hoc est maxime contra Calvinū. Dicit enim Paulus de omni Magistratu, ac potissimum Romano qui tum fere ubique dominabatur, qui sane legem suam non acceperat a Mose, Itaque quod solvit Christus pro se & pro Petro tributum Romanis, non ideo solvit ut obediret in eo Legi Mosis, sed potius fecit contra Legem Mosis. Nusquam enim jussit Lex Mosis, ut liberi tributum solverent: & ipse cum Liber esset non debebat. Itaque quod dicit Calvinus non esse mutatum Christi adventu politicū ordinem, id eo valet, ut maneat is ordo qui tum fuit, hoc est, ut gentiles non Iudęi sumus, non debemus a Mose Legem petere, sed ipsi nostras Leges sequi, sed duntaxat in causis civilib⁹. Nam quod ad Religionem attinet, ea tota petenda est a Lege Christi, alioquin reijceretur ipsemet Christus, cum gentiles Leges multos Deos admittant, & ignotos aut novos repudient. Igitur ut rem expediā, Christ⁹ fidei Charitatisque Legem docuit, quę fuit vera mens & scopus legis

Rom. 13.

legis Mosaicæ, propter quam mentem Mosaica Lex a Paulo spiritualis appellatur. Carnali quidem Legi, cum spiritualem attulerit, noluit subijci Gentes, quas docuit: nec enim potest caro cum spiritu congruere, cum hic vivificet, illa necet. Quod autem politicum ordinem reliquit, sic reliquit, ut agriculturam, & Medicinam, & cætera ad vitam necessaria. Et quod Paulus docet obediendum esse Magistratui, non magis de Mosaico Magistratu loquitur, quam de Gentili: Et quod Magistatus punit facinorosos, non punit quia Moses jussit sed quia Lex naturæ & æquitatis jubet, quæ fuit & ante Mosem & in cæteris nationibus quas testatur Paulus habere Legem scriptam in cordibus. Itaque qui fuerunt Magistratus vel ante Mosē, vel in alijs Rebuspub: puniebant homicidia, adulteria, cæteraque facinora non Lege Mosis, sed naturæ: Ita nunc, qui non sunt sub Mose puniunt eadem Lege naturæ, non Mosis. Ac quemadmodum Christianus, qui Deum amat, fide Christi amat sponte sua, non quia Moses jussit: Ita qui Magistrat⁹ Christianus facinorosos punit, amore Dei punit, nō coactus jugo Legis, In Christo neque Græcus est, neque Iudæus, neque maritus, neque uxor, neque mas neque fœmina, sed nova creatura: & tamen Christiani sunt Græci, Iudæi, conjuges, mares & fœminæ: quod idem dico de Magistratu. Est Magistratus omnino, necessarius, quandiu sunt homines mali: & qui Magistratus tollunt, perinde faciunt, ac si patrifamilias virgam adimerent, vt familia eo licentius peccaret: Sed in causis Religionis non

Rom. 7.

Rom. 2.

est a-

est alius Magistratus, quam Christus & , quos Christus non ferro, sed verba armatos misit: Quæret aliquis an non liceat Magistratui lege politica Mosis vti? Ad quod ego respõdeo: Non solum licere, sed etiam longe melius esse, quam alia, sic tamen vt non idio vtatur, quia Moses jusserit, sed quia rectum sit. Exempli gratia: Iussit Moses vt cum edificabuntur Domus, tectum earum septo aliquo muniatur, ne quis inde delabatur. Habuit ea lex aliquam rei futuræ umbram & significationem, quę in Christo impleta est, ut jam necessaria non sit, si domum ędifices, huiusmodi loricam adhibere, non magis quam circuncidi. Tamen cum ea res ad vitam magnum usum afferat, quippe quæ ad casus vitandos valeat, si quis in ijs regionibus, ubi plana tecta sunt domorum, id faciat, rectius faciet quam secus: Neque tamen servus erit legis Mosaicæ: Sic de Magistratu dico: Si quis facinorosos sic puniat, ut Moses instituit, longe rectius faciet, quã si aliorum Leges sequatur: quippe cum lata divinitus Mosaica Lex sit omnibus modis omnium justissima: neque tamen erit Mosaicæ legi subjectus: non enim faciet, quia jussit Moses, sed quia rectũ est, semperque fuit. Sed hoc fieri velim sine superstitione, malimque semper in parte clemẽtiæ inclinare quã severitatis, ne forte nimio & inconsiderato Mosis studio peccetur in Christi clementiam. Itaque quod lex illa Talionis, oculum pro oculo, dentem pro dente, nusquam jam observatur, ne Genevæ quidem, ubi tamen Magistratus est Calvinianus, id mihi non displicet. Quod si Magistratus essem & mihi judicandum esset de adul-

dultera illa, cui Christus vitam mirabili prudentia conservavit: Aut de impudica, quæ ei pedes vnxit, non auderem eam damnare. Terret enim me dictum illud: Quos Deus conjunxit, homo ne separet: Quos Deus purgaverit, tu ne pollueris: Quã Christus absolvit, homo non damnet. Idem dico de Latrone, qui in Christum in cruce credidit. Itemque de Onesimo servo, pro quo Paulus ad Philemonem scripsit: Et de Davide, qui adulterium & homicidium patravit. Multum enim interest utrum pio, ignorantia, aut negligentia lapso, & se corrigenti, aut ei, qui pius esse incipiat, venia detur, an impio. Quod autem scribit Calvinus *nullos fuisse Magistratus, quibus præciperent Apostoli, quid rectum esset*, non video quorsum pertinet: Non enim ideo prescribere non debuerunt, quia nondum erant Magistratus Christiani: qui, cum vitæ normam etiam in futurum scriberent, debuerunt rationẽ futuri habere, si sciebant fore aliquando Magistratus Christianos: Sicuti Moses cum leges Israelitis prescriberet, & eos Regem creare vetaret, tamen cum presciret futurum, ut regem contra Legem, crearent, præscripsit in futurum Iura Regis. Atque hoc idem facere videtur Paulus cum scribit: Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere potestatẽ, bonum fac, & laudem habebis ex illa: Dei enim est minister tibi in bonum: si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in ira ei qui malum agit &c. Hæc omnia verba si quis rite perpendat, deprehendet hic officium tacite præscribi Magistratui, videlicet

Rom. 13.

ut puniat externa facinora, non interna peccata Invidiam, Hypocrisim, Superbiam, quæ gladio suo attingere non potest, quamvis majora sunt quam externa, neque item Religionē. Cum enim loquitur Paulus de Magistratu, qui tum erat, si permitteret homines puniri propter Religionē, puniretur ipsemet Paulus in primis qui Religionē profitetur, a qua tum Magistri⁹ omnes, tū Iudaici, tum cęteri omnes abhorrrebaāt Itaque quod dicit: Vis non timere potestatem? bonum fac, perinde est ac si diceret: Loquor de eo Magistratu, qui punit maleficos, non beneficos. Nam quod ad eos Magistratus attinet, qui nos Christianos, qui bonum facimus, nec facinorosi sumus, persequuntur propter Religionē, ij Dei ministri non sunt: Cum Deus ministris suis jusserit, ut beneficos tueantur, non oppugnent. Sed ejus ministri sunt qui beneficos & pios a malorum injuria defendunt. Itaque debent facinora punire, Religionem vero tractare non debent (nihil enim aliud quam omnia pervertent) sed nobis religionis antistitibus eam relinquere sic tractandam, quomodo præcepit religionis parens Christus. Hæc Paulus docet, sed paulo obscuri⁹ propter tyrannidem

Calvinus. 126.

Fatentur isti, quibuscum nunc discepto, ad alia crimina plectenda judices divinitus esse armatos, modo a religione abstineāt (1) ut libere ipsis tacentibus lasciviat impietas.

Vaticanus.

ij. Cor. 10. (1) Imo ut armis Pauli spiritualib⁹ & diuini potentibus coerceatur, quib⁹ ille captivam ducit omnem cogitationē ad obediendum Christo,

& in

& in promptu habet vindictam adversum omnem inobedientiam.

Calvinus. 127.

Verum reclamat innumeris locis Spiritus sanctus, qui sub Christi regno sanæ Doctrinæ & legittimi cultus patronos ac vindices fore Reges pronunciat. Quando David principes omnes ad osculandum filium hortatur, quid potius ab illis exigit, quam ut saniam Doctrinam suo præsidio defendant? Quum toties dicit venturos esse ut Christo tributum offerant, quid aliud intelligit, *Esai. 49.* quam purę adorationis pręsides futuros, pięque doctrinæ custodes? Quomodo etiam illud Esaiæ *Est Argumentum illud quoq; Monasteriensium.* vaticinium implebitur, ecclesiæ nutricios fore, nisi ad tuendum pietatis statum potentiam suam conferant?

Vaticanus

Nihil potuit apertius dici contra Calvinum. Nam Esaias eo in loco, qui hic a Calvino citatur, sic loquitur: Cæterarum gentiũ lac, regumque suges ubera. Et mox: Efficiam ut pro tui administratione sit pax & pro Magistratu Iustitia. Non jam crudelitas in tua terra, non vastitas aut calamitas in tuis finib⁹ audietur, tuosque muros salutem, & portas Laudem appallabis. Et Cap. 63. Christus sic loquitur: Prælum calcavi solus, neque mihi quisquam ex populis adfuit, cumque nullum advitorẽ nullum esse adminiculatorẽ animadvertens mirarer, victoriam mihi proprio lacerto, mea mihi adminiculante bile, populosque iratus contudi, & bile mea inebriavi, dejecto ad terram eorũ potentatu. Et Cap. 65. Lupus & Agnus simul pascentur, & Leo & Bos stramen comedent, serpentisque victus erit

pulvis,non nocebitur, neque corrupte agetur
Mich.4. in toto meo sancto monte. Et.2.Cap. Cudent ex ensibus suis vomeres, & ex spiculis falces: Neque gentes aliæ alijs arma inferent, neque amplius bella discent. Hęc & alia infinita scripta sunt de futuro tempore regnantis Ecclesiæ, quod tempus hoc loco citat Calvin⁹ contra seipsum. Si enim erit pro Magistratu Iustitia, deiecto ad terram gentium potentatu, cunctisque potestatibus a Christo abolitis, & ensibus in falces conversis, quonā ense utentur Magistratus, ut veritatem tueantur, quam nemo oppugnare poterit? Atque ut intelligatur, quam longe alia futura sit Christi victoria, quam Calvin⁹ arbitratur, pugnabit Christus solo verbo, de quo scriptū est: Dominus meum os simile reddidit acuti gladij. Item: Dominus mihi linguam dedit eruditam. Huic acuto igneoque verbo tantum aberit ut patrocinentur Principes, ut ei seseopponant gentes omnes, & vincantur, atque ita subactæ reddantur scabellum pedum Christi, & ei, eiusque ecclesiæ serviant deinceps in omnia secula, ut quod regnum, & quæ gens ei non servierit, evertatur. De hac victoria sic scriptum est: Exultabunt pij gloriose, in suis ovantes cubilibus. Dei prædicationem in gutture, & gladium in manu habentes ancipitem, ad sumendum de gentibus supplicium, ad capiendas de populis pœnas, ad eorū Reges cathenis, ad Nobiles vinculis constringendos ferreis, ad exercendum pręscriptum in eos judiciū, quod sit pijs ornamento. Hic vides futurum esse, ut reges non ferro Ecclesiam defendant, sed oppugnent, & ab ea verbo & spiritu oris Domini

1. Cor. 15. — *Contra Monasterienses.* — *Esa. 49.* — *Dan. 2. 7.* — *Esa. 60.* — *Psal. 149*

sic

ſic vincantur. Vt ei ad pedes accedant, & eius pedum veſtigia lambant. Itaque quod ſcriptum eſt, fore Reges nutricios eccleſiæ, ſic accipiendum eſt, eos qui antea regnaverant, fore ſervos, ut Eccleſiam non ferro, ſed ſervitio ſuo fovere cogantur. Vertetur enim rerum ſtatus, & qui regnaverunt, ſervient eis in quos regnaverint, & qui captivi fuerunt, imperabunt eis quibus ſervierint. Deponet enim potentes de ſede, & exaltabit humiles. Eſurientes implebit bonis, & Divites dimittet inanes. *Luc. 1. 52.*
Tum habebimus urbem potentem, cui pro muris & propugnaculo ſalus erit, cũ Dominus terram percuſſerit virga oris ſui, quod erit Chriſti ſceptrum illud ferreum, O vos qui Domini memoratis, properate tempus hoc, nolite vel nobiſcum ipſis, vel ei intermiſſionem dare, quum componat reddatque Hierſolimam in terris laudabilem. *Eſa. 26.* Calvinus (ne quis forte decipiatur) tantum abeſt ut tempus hoc jam eſſe putet (quamvis ſuos Magiſtratus ferro illo, eccleſiæ ſuæ nutricio, jam armet, tanquam illa tempora jam venerint) ut ne futurum quidem arbitretur in hac vita. Nam ut ſupra ex eius Inſtitutionibus oſtendimus, Eccleſiá fovet in qua plurimi ſunt hypocritæ & impij. Et in Commentarijs ſuis in Eſaiam, de hoc ipſo tempore regnantis eccleſiæ, de quo loquimur, ſcribens, dicit, valde ineptire eos, qui hæc futura putent in hac vita: Nihil enim hic habere nos eius fœlicitatis, niſi guſtum. Et in Epiſtola in Cathechiſmum ſuum ſic ſcribit: Niſi mirabiliter De-
„ us e cęlo ſuccurrerit, videre mihi videor extre-
„ mam barbariem. Atque utinam non (paulo

 poſt)

,,post) sentiant filij nostri fuisse hoc verbum po-
,,tius vaticinium, quam conjecturam. Quo ma-
,,gis elaborandum nobis est, ut qualescunque ec-
,,clesiæ reliquias (quæ post mortem nostram res-
,,tabunt, vel etiam emergent) scriptis nostris col-
,,ligamus. Cum igitur expectet extremam bar-
bariem, non hic reges ideo ad ecclesiæ defensio-
nem & nutritionem armat, quod eos tales fu-
turos speret, sed armat seipsum eorum præsidio (sine quo videt verbum suum esse iners atque invalidum) quo possit ferro (quia verbo non potest) adversarios suos opprimere.

Calvinus. 128.

1. Timo. 2.2. Accedat jam Pauli suffragium, quo scrupulus omnis eximitur. Solennes in Ecclesia preces concipi jubet pro Regibus & omnibus qui honore & potentia excellunt: Quorsum? Vt quietam, inquit, & tranquillam vitam agamus. An hoc duntaxat? Imo cum omni pietate & temperantia. Si tantũ modestiæ vel temperantiæ facta esset mentio, aliquid forte coloris prætenderent, qui a Principibus religionis causam attingi nolunt: Sed cum hoc illis mun⁹ assignet Paulus, ut Deũ rite colendũ procurent, quantę obsecro temeritatis est, injuncta divinitus potestate illos exuere? Duo hic observare operæpretium est. Neque enim privatos homines instituit Paulus, ut se Deo addicant, sed de publica principum functione disserit, quatenus in solio locati sunt & gladio instructi ad regendum humanum genus: Illorum munus non solum in tuendo cuiusque jure constituit, sed ad fovendam pietatem ordinatos esse docet.

Vaticanus.

Superiore pagina dixerat Calvinus, nullos fuisse Magistratus, quibus pręciperent Apostoli quid rectum esset: nunc contradicit a Paulo eorum functionem describi ac dividi in duas partes: id quod verum non est. Sic enim scribit Paulus: Exhortor ergo primum omnium ut fiant supplicationes, preces, interpellationes, gratiarum actiones pro cunctis hominib⁹, pro Regibus, & omnibus potestate pollentibus, ut tranquillam quietamque vitam agamus, cum omni pietate & gravitate. Ostendit deinde quorsum hæc dicat: Hoc enim honestum est (inquit) nostro Servatori acceptum, qui vult omnes homines servari & ad veri cognitionem venire: quasi hoc dicat: Orandus Deus est pro cunctis hominibus, ut eis mentem aperiat, quo veniant ad cognitionem veritatis: Quod si fieret, serviremus Deo tranquille: quod cum reges fieri impediant (persequuntur enim jlli ipsi nos propter Religionem, atque ita tranquillitatem impediunt) orandus Deus est ut eis quoque mentem aperiat, (quandoquidem vult eos quoque sicut & cæteros omnes salvos fieri) non ut Religionem ferro tueantur, sed ut Religionem ferro oppugnare desinant. Cum enim soli Magistratus & Principes pios persequantur (ad Reges enim atque Principes ducemini propter nomen meum, inquit Christus) Si illi persequi desierint, agemus tranquillam vitam cum omni pietate. Nemo enim tranquillitatem nostram interpellabit propter facinora, si nulla commitamus. Ipsa se autem pietas facile tuebitur, si a corporibus nostris abstinebitur. Nō

1. Tim. 2.

Mat. 10. 18.

igitur hic postulat Paulus, ut principes sanam doctrinam armis tueantur (contra quos enim tuerentur, nisi contra semetipsos, cum soli eam armis oppugnarent) sed ut accipiant, & oppugnare desinant. Quod si fiat, sequetur tranquillitas. Perinde ac si Mercatores optent ut Latrones fiant boni, quo possint Mercatores tranquille iter facere, non ut Latrones eis tranquillitatem prestent, sed ut eam impedire desinant. Nam certe Pauli tempore Latrones erant & Lupi principes adversus Christianos, id quod Christus judicaverat, cum diceret: Ego mitto vos sicut oves in medio Luporum: Et Paulus cum dicit, se liberatum ab ore Leonis.

Elegantissima similitudo.

Mat. 10. 5.

2. Tim 4. 17.

Calvinus. 129,

Vnde sequetur, gladium in eorum manu esse depositum, quo sanam Doctrinam propugnēt: quod prestare nequeunt, nisi impias corruptelas pœnis cohibere liceat. Desinant ergo indocti homines & parum considerati negare de veræ Doctrinæ corruptorib⁹ sumendas esse pœnas, nisi palam Deo obstrepere velint.

Vaticanus.

Sanam Doctrinam vocat Paul⁹ eam, quę reddit homines sanos, hoc est, Charitate & Fide nō ficta, bonaque conscientia præditos: Insanam autem, quæ reddit curiosos, contentiosos, contumaces, impios, irreligiosos, prophanos, parricidas &c. & si quid aliud sanę doctrinæ cōtrarium est. Verum isti lege alia spectant. Habent enim pro sanis eos, qui cum ipsis sentiunt de Baptismo, de Cœna, de Prędestinatione &c. Tales homines, licet sint avari, invidi, obtrectatores, simulatores, mendaces, scurrę, fœneratores

1. Tim. 4. 10.

tores

tores, & si quid aliud sanę doctrinę adversatur, facile feruntur, nec ullus propter hominum vitia occiditur, nisi quis homicidium, aut furtum aut aliquod hujusmodi facinus atrox patraverit, aut concionatores offenderit: nam hoc apud eos perinde est, ac peccatum in Spiritum sanctum, sicuti jam vulgo alicubi proverbio dici solet. Sin aliquis de Baptismo, aut Cœna aut Iustificatione, Fide &c. ab eis dissentit is est Hæreticus, is Diabolus, is omnibus terra marique adversandus, tanquam Ecclesiæ hostis æternus & sanæ doctrinæ eversor nepharius, etiamsi alioqui vita sit incorrupta, adeo clemens, patiens, benignus, misericors, liberalis, adeoque religiosus & Dei metuens, ut in ejus moribus nihil habeant vel amici, vel inimici, quod reprehendere valeant: Hæ omnes virtutes, & vitæ innocentia (quam Paulus in seipso commendare non dedignatur) hominem tueri apud istos non possunt, si in aliquo religionis capite ab eis dissentiat, quin pro impio & blasphemo habeatur. Ostendunt hęc pręter illud de Tornatore exemplum, quod supra citata vim⁹, etiam alia multa. Nam apud Tigurinos multi inculpate alioquin vitę homines, tantum propter opinione de Baptismo occisi sunt authore Zwinglio, inter quos duo Tiguniri fuerunt, pater & filius, quos ita pios fuisse, ut haud facile alij tales in ea ecclesia reperiri possent, testantur qui noverunt, etiam amici Zwinglij. Rursum aliqui cum antea inculpate vixissent, postquam recantare coacti sunt, deinceps ita scelerate vixerunt, ut nemo eos flagitijs ęquaret & tamen propter hanc flagitiosam vitam, nul-

Nota.

Acto. 26

Nota.

Iam a quoquam persecutionem passi sunt. Hęc persequendæ hominum religionis infamia videtur jam tempore Danielis grassata fuisse: cũ enim ejus vitam & mores carpere ejus invidi non possét, statuerunt ejus religionem cavillari. Sic isti quorum vitam culpare nequeunt, eorum religionem invadunt: Et in eo sane prudenter & malitiose faciunt: cum enim morib⁹ ipsi non excellant, ad Doctrinam veniunt, de qua cum Magistratus judicare non possit, sicuti de moribus, ei facilius imponunt, atque ita suam illam sanam Doctrinam venditantes inopes opprimunt. At Christ⁹ contra istorum doctrinam repudiabit in die Iudicij, & mores requiret: cum enim ei dicent: Edimus tecum & bibimus, & in vicis nostris docuisti, respondebit eis: Nescio unde sitis, discedite a me omnes malefici. Hic vides frustra ostentari doctrinam, nisi adsint mores Doctrinę congruentes, etiamsi Christus ipse in nostris plateis docuerit: & tamen nihil jactamus quam verbum & Sacramenta. O cœca cœcorum cœcitas? O insanabilissima & cruentissima hypocrisis? Quãdo tandem detecta eris, ut desinant deinceps Magistratus arbitratu tuo fundere sanguinem eorum, quos ignorant?

Dan. 5. 6.

Luc. 13.

Hactenus undique collegit Calvinus omnia, quæ potuit ad fundendum sanguinem Hæreticorum, nec tamen ullum sacrum authorem potuit invenire, qui juberet Hæreticos occidi. Itaque quo meli⁹ decipere Lectores posset, nusquam definivit, quid sit Hæreticus. Sed, de hæreticis disputaturum se pollicitus, multa dixit de falsis prophetis, de alieni Dei cultoribus, de impijs

impijs & blasphemis, tandemque conclusit, quia illi sint interficiendi, atque etiam Hæreticos esse interficiendos. Bella sane conclusio, ut si quis, cum ostenderit incendiarios, & Latrones, & homicidas interfici debere, inferat, ergo etiam ebriosos esse interficiendos, nec tamen legem ullam proferat, quę jubeat ebriosos interfici, sed tantũ sophisticis rationibus ostendere conetur, ebriosos non minus nocere quam illos, itaque ergo dignos esse qui occidantur. Siccine vero fallacibus, & fucatis inductionibus ducti homines statim interficiemus? Nonne Iudicib⁹ pręcipitur, ut legem habeant oculis suis prępositam? Cedo Legem de hæreticis interficiendis: Nulla est. At est de falsis Prophetis: Quid mihi cum falsis Prophetis? Tu Hæreticum accusas (dicet bonus Iudex) profer Legem quę jubeat Hęreticum occidi. At sunt Hęretici falsæ Prophetæ: Ostende hoc: Tibi non credo: Non enim jubent alienum Deum coli: Neque quicquam futurum pędicunt. At sunt blasphemi. Ostende & hoc: Ostende idem esse blasphemum & hęreticum: an Deus non poterat hęreticos appellare, si eos volębat occidi? Adeone fuit obliviosus, ut tot seculis, tam multis libris nusqnam verbum fęcerit de hęreticis occidendis? Et nunc Calvinus ultimis temporib⁹ nobis novam Legem scribit, cum tamen scriptum sit, Legi Dei nihil nec addendum esse, nec demendum. Enimvero ostendamus ipsi quid Calvinus putet hęreticum, ut perspici possit quonam sit ventura res, si Principes secuti fuerint ejus concilium. Cum de re vulgo nota scribimus, eam definire non solemus; In quo quidem judicamus sic nos

Deu. 4. 2. 12. 32.

ea de re sentire ut vulg⁹ Itaque si scribas interfici debere Latrones, omnes populi qui volent sequi legem tuam, interficient eos, quos certo habent ipsi pro Latronib⁹. Sic cum scribit Calvinus occidendos esse hęreticos, omnes populi, qui ei obtẽperare volent, occident eos, quos certo habent pro hæreticis. Itaque fiet ut Papistæ Lutheranos & Zwinglianos & Anabaptistas interficiant: Et Lutherani, Papistas & Anabaptistas & Zwinglianos: Itemque cæteri omnes: neque enim dubitat ulla sectarum, quin ipsa recte sentiat, cæteræ sint hæreticę. Itẽ conspirabunt inter sese homines, authore Calvino more Madianitarum, & adeo alij alijs non parcent, ut dextra lęvaque rapiant, quod comedãt, & famentes nec dum saturati sui ipsorum brachij carnem vorent, & Manassensibus cum Ephramitis, & Ephramitis cum Manassensibus contra Iudæos conspirantib⁹, ne sic quidem sedata ira Domini, quin habeat adhuc porrectã manum.

Esai. 9.

Scribit enim Calvinus in suis Instit. Cap. 8. sect: 26. De Hæreticis his verbis: „Hæretici & schismatici vocantur, qui dissidio facto ecclesiæ „communionem dirimunt: Hæc porro duobus „vinculis continetur, sanę Doctrinæ consensio„ne & fraterna Charitate: Vnde inter Hęreti„cos & scismaticos hoc discrimen ponit Augus„tinus, quod illi, quidem falsis dogmatibus fidei „sinceritatem corrumpunt: Hi autem interdum „etiam in fidei similitudine societatis vinculum „disrumpunt. Habet Calvinus pro Ecclesijs suam & helveticas, & Argentinensem, & Saxonicas, hoc est, Lutheranas. Ab his Ecclesijs

qui

qui vero dissident, illi ipsi Hæretici sunt atque fidei sinceritatem corrumpunt Authore ipso Calvino. Oportet autem jam eas duobus vinculis contineri, videlicet sanæ Doctrinæ consensione & fraterna charitate. Iam cum sint inter eas, quos Calvinus amplectitur Ecclesias, maxima tum Dnctrinæ, cum animorum dissensio (id quod facillime ostendi potest) & habendi sint pro Hæreticis ex sententia Calvini, qui hæc duo vincula rumpunt, nihil superest nisi ut Calviniani alios, & alij Calvinianos invadant, & alij alios pro hęreticis habentes corrodant, Donec alij alios confecerint. Ac si volent homines Calvini consilium sequi, nulla erit secta, quę non alias omnes damnet & persequatur (nulla enim secta est, quæ judicio suo non est optima) ut ita Ammonitæ & Moabitę & Esaini mutuis vulneribus cadant, Deinde superueniant veri Iudęi, qui sine sudore & sanguine spolia legant. Iam postquam Calvini dicta refutavimus, superest ut, quod non fecit ille, ostendamus quinam vere sint hęretici, & quonam modo tractandi.

Quid sit hæreticus, & quonam modo tractandus

Sœpe fit ut alienæ linguæ vocabula non intellecta errores magnos atque periculosos afferant: videmus hoc in nomine ecclesię, quod vocabulum cum cœtum aut concionem significet, sic tamen degeneravit, ut vernaculis linguis significet templum. Idem dico de Idolo, quod simulachrum est: & tamen in eo sic erratur, ut qui simulachra habent, putent se Idolis carere

Quod

Quod si res sua cuiusquam gentis lingua diceretur, non haberet locum hic error. Sic accidit in nomine hæretici, quod græcum est, Et cum apud ignaros grçcę linguæ nominatur, putant hæreticum eundum esse quem blasphemũ aut magum, aut atheum, aut alieni Dei cultorẽ, aut eius generis monstrum aliquod ita horrendum, ut facilius Latronibus & proditoribus & parricidis veniam dent, quam ei, qui dicatur hçreticus. Hunc vulgi errorem intelligentes isti homines incendiarij, si quem a se dissidentem opprimere volunt, appellant hçreticũ, cuius nominis invidiam ne Christus quidem posset effugere. Quod si pro hçretico nominarent pertinacem, discuteretur hęc erroris nebula, possentque Iudices longe justius de pertinaci Iudicare, quam de hæretico, hoc est, de noto crimine, quam de ignoto. Nos igitur vocabulũ sic explicabimus. Hæresis græcum vocabulum est, quod sectam, sive opinionem declarat (.1.) Sunt autem sectæ aliæ laudabiles, ut Acto 24 & 28. Dicitur secta Nazaræorum, hoc est, Christianorum (.2.) Aliæ prorsus impiæ, de quibus sic scripsit Petrus: Fuerunt autem & falsi vates in populo, ut etiam in vobis erunt falsi Magistri, qui perniciosas sectas introducent, vindicemque suum herum negantes, celerem sibi perniciem conciliabunt, eorunque perniciem multi subsequentur, per quos verbi institutio male audiet: quique vos per avaritiam fictitijs verbis nundinabuntur. 3. Aliæ sectæ sunt mediæ, quæ per se impiæ dici non possunt, videlicet eorum qui Religionem retinent, atque credunt sacrosacris Literis, sed

Definitio Hæresis.

Sectarũ tria genera.

ij. Pet. 2.

ſed eas perperam intelligunt, cujuſmodi erant Schribæ, Phariſæi, Saducæi & Eſſæi, huiſmodi vitioſis ſectis qui pertinacius adhærent, neque ſe ad ſaniora revocari patiuntur, cum tamen vere & rite moneantur, hi Græce hæretici, Latine pertinaces appellantur. Vere monendos id eo dico, quod non eſt habendus pro hæretico, ſi quis falſo monetur, hoc eſt, ſi ad falſam opinionem, non ad veram vocetur: Vt ſi Saducæus Phariſæum monuiſſet, ut ab opinione quam habebat de Reſurrectione deſiſteret: male haberet Phariſæum pro hęretico, & ſe pro conſtanti: Eſſetque potius Saducæus partinax. Item rite monendos dico, quod ſi Phariſæi, qui erant avari aliquem monuiſſent, ut ab avaritia deſiſteret (nam & in moribus cernitur pertinacia) & is tamen non deſtitiſſet, non fuiſſet ſubito pertinax & rebellis (tametſi deberet deſiſtere) ſed id potius Phariſæorum vitio tribuendum, qui, quoniam avari eſſent, mortuis & invalidis admonitionibus uterentur. Neque enim habet vires oratio, quæ tantum a Labris, non corde, proficiſcitur, qualis eſt hiſtrionum. Sed ſi quis avarus a Chriſto monitus, tamen perſtitiſſet in avaritia, is vere pertiuax fuiſſet,

Iam veniamus ad noſtrum ſeculum. Sunt & hodie tria ſectarum genera, videlicet, pium & impium, & medium. Pij ſunt qui in hoc ſeculo ſancte & juſte & pie vivunt, expectantes adventum beati domini Dei, quem in ſpiritu & veritate colunt. Impij ſunt Dei contemptores & blaſphematores, omnis religionis

gionis inimici & derisores, qui sacris Literis non magis, ne dicam minus, credunt quam prophanis, homines avari, Libidinosi & voluptatū sectatores maximi. Horum magna pars est Apostatarum, qui principio crediderunt Evangelio: Deinde cum non perseverarent, facti sunt Athei, acciditque eis quod dixit Christus, Redijt in eos malus spiritus assumptis alijs septem deterioribꝰ: Atque ta facta est illorum hominum conditio posterior priore deterior. De his vaticinatus est Petrus in eo quem supra dixi loco. Medij sunt, qui Deum reverentur illi quidem, creduntque sacris literis, sed eas non intelligunt. Ac de Impijs & Atheis facile judicare possunt, quippe qui seipsos non solum morum, sed etiam verborum impuritate produnt, & pietatem sibi ne verbis quidem vendicent, Sed de veris Christianis deique filijs, quinam sint, magna controversia est: Propterea quod de multis sectis nulla est, quæ non hoc sibi vendicet. Si in controversiam veniret de multis medicis, ecquis esset optimus, & populꝰ de eorum doctrina judicare non posset, igitur quod ōnes probabiliter differerent, & Hypocratem, & Galenum citarent, non posset populus rectiꝰ de eis judicare, quam si omissis eorum rationibus, ex fructu judicaret, hoc est, ei palmam tribueret, qui plurimos & gravissimos morbos curasset. Sic de animorū medicina cum agitur, nec possit vulgus hominem judicare de Magistrorum disputationibus, optimum & expeditissimum esset ex fructu judicare, hoc est, eos optimos putare, qui animorū morbos, hoc est, vitia optime sanant, & plurimos reddunt ex ebriosis sobrios

Ratio judicandi de doctrinis.

brios, ex intemperantibus continentes, ex avaris, liberales, patientes ex impatientibus, clementes ex crudelibus, ex Libidinosis Castos. Hanc rationem Iudicandi tradidit Paulus: Manifesta sunt, inquit, opera carnis, videlicet, Adulterium, stuprum, impuritas, salacitas, De astrorum cultus, veneficium, inimicitię, Lis, emulationes, Iracundiæ, contentiones, seditiones, sectę, Invidię, homicidia, ebrietas, commessationes, & his similia: At spiritus fructus est charitas, gaudium, pax, clementia, benignitas, bonitas, fides, Lenitas, continentia. Ex his fructibus judicari facile potest, quænam secta sit optima, scilicet eorem qui Christo credunt & obediũt, ejusque vitam imitantur, sive ij Papistæ appellantur, sive Lutherani, sive Zwingliani, sive Anabaptistę, sive alio quopiam nomine. Neque enim in nomine sita est, sed in re veritas. Tales qui sunt, & quibus non satis est dicere Domine domine, sed insuper ejus voluntati parent, ij vere pij, Deique filij sunt, possuntque de Hereticis, & de alijs judicare: At si qui ejusmodi hominum admonitionibus non optemperant, hos hęreticos & pertinaces merito possis appellare: Quemadmodum si quis morbus a bono medico, qui alios multos curaverit, curari non possit, hic morbus pertinax rite dici possit. At si quis morbus a malo medico curari non potuit, hunc morbum non continuo insanabilem dixeris, fortassis enim sanari posset, si bonus esset Medicus. Sic in moribus, si quis malus ab homine malo corrigi non potuit, non protinus putandus est pertinax, fortassis enim corrigi posset, si bonum Magistrum nancisceretur

Gal. 5.

Mat. 7.

retur

retur. Quemadmodum aliquando contigit hominē una hora ab homine pio corrigi, qui multis annis a ſui ſimilibus corrigi non potuit. Sic hodie omiſſis moribus & vitæ ſanctimonia, ſolent homines judicare de Doctrina, & eos occidere, qui ab ipſis aliqua in re diſſident, etiamſi ſint alioquin moribus integris, id quod contra fieri decebat. Nam etiamſi aliquis peccaſſet, deberet ei tamen venia dari, ſi reliqua eius vita eſſet innocens, quemadmodum dixit Iehu Ioſaphato: Equidem iſtius facti pœnas dares Domino, inquit, niſi in te extitiſſent quædam laudabilia, quod Lucos ex hac Regione exterminaſti, & animum tuum ad Dei ſtudium applicuiſti. Igitur quia non ex moribus, ſed ex Doctrina judicari occidique volunt homines, & quænam ſit optima ſectarum nondum judicatum eſt, nec ante Iudicis adventum judicari poteſt, Quæritur interea quid faciendum ſit pertinacibus? Hic ſi conſulas ut interficiantur, interficientur omnium ſectarum homines apud eos qui ſectæ ſunt alterius.

2. Par. 19.

Ita fiet ut Calviniani in Gallia, atque Papiſtæ Genevæ, occidantur, & Lutherani a Swinglianis, & a Lutheranis Swingliani, & ab omnibus Anabaptiſtę, & omnes ab Anabaptiſtis necentur, nec ullus occiſionum fiet modus, donec omnes mutuis vulneribus conciderimus. Hac occidendi rabie qui putat ædificari Eccleſiam, is ex Chriſto facit Sathanam. Sic enim ſanguine, non charitate ſolet ædificari Sathanæ eccleſia. Rurſū ſi jubeas Hæreticos impune dimitti, orietur cogitatio de impijs illis & atheis ac blaſphemis, an non ſint puniendi. Itaque rem

ego

ego distinguendam arbitror, & impios illos ab ijs discernendos, qui errant. Ac quoniam Calvinus de Hęreticis disputans omnia confundit, & modo blasphemos, modo alienorum Deorum cultores, modo falsos prophetas insectando, Hęreticos horum nominum invidia gravavit? Ostendam eos qui Hæretici habentur non esse tales. Impios illos & sacrarum literarum contemptores, ac blasphemos Hæreticorum nomine non comprehendo, sed ut impios tractandos judico. Si Deum negant, si blasphemant, si palam de sancta Christianorum Doctrina maledicunt, sanctam piorum vitam detestantur, eos ego relinquo Magistratibus puniendos, non propter Religionem, quam nullam habent, sed propter Irreligionem. Quod si quis Magistratus eos in vinculis teneret, si forte se corrigerent (quoniam immensa est Dei misericordia) is mihi Magistratus non alienus esse videretur a Christiana clementia.

Quinam hodie habētur pro Hæreticis.

Verum cum de hęreticis agitur, De eis ex vulgi opinione judicatur, videndum est quinam hodie habeantur pro Hæreticis. Hęretici habentur Papistæ, Valdenses, Lutherani, Swingliani, Anabaptistæ, Zwencfeldiani, & si qui sunt huius generis. Harum ego sectarum dico nullam esse quæ debeat per se impia vocari, etiamsi omnes errent: Credunt enim omnes in eundum Deum, & in eundem Dominum & servatorē Christum. Scio equidem quam multis, quam prodigosis erroribus Papa mundum repleverit, ut ab eo merito defecerint sectæ illę, quas modo dixi: Scio & quam in cæte-

ris etiamnum restent errores, quos Lux maior possit discutere: quamquam multi in eis sint magistri nihilo meliores quam Papa. Sed ego de ijs loquor, qui sunt in sua secta religiosi. Suine bonum Papistam, hoc est, Dei metuentē, qui peierare, qui occidere, qui adulterare aut falsū testimonium dicere metuat, aut alteri facere, quod ipsi fieri nolit: Dico hunc nulla ratione debere impium vocari, aut interfici: & tamen simulachra colit: quid tum? Errore colit, non malitia, ut & nos omnes coluimus. Quod si verba Legis urgeas, debuimus, omnes interfici. Sed non ita est: vult enim Deus pro sua mi-

Mat. 9. 1 sericordia errantes doceri, non occidi. Dices: Sed perseverat in errore suo: quid tum? & Apostoli dęmoniacum quendam sanare non potuerunt, adeo pertinax erat ille Dęmon: an ideo occidere debuerunt, quia sanare nequiverunt? an non potius incredulitatem suam accusare, quæ in culpa erat, ut ipsis Dominus exprobrat? quia non nisi jejunijs & precibus eijci poterat illud genus spirituum. Quid si nos non satis fidei, sicut & Apostoli, habemus, aut non satis a peccatis jejunamus, aut precib⁹ operam damus? An debemus interficere, quos propter incredulitatem, culpamque nostram sanare non possumus? O væ nobis si facimus. Est ne tanta fides, integritasque, & continentia nostra, ut nos Apostolis anteferre audeamus? Cur non accusamus incredulitatem nostram, quæ in causa est, ut errorem spiritus ex eo eijcere nequeamus? Ac quod de Papistis dico, idem etiam de alijs intelligi volo.

Si enim Papistæ, qui tam graviter & in tam multis

multis errant, tamen propter errores illos occidendi non sunt, quanto minus alij, qui ab illorum erroribus magna ex perte discesserunt? Itaque non debet Lutherus neque zwinglium, aut Calvinum (si tamen sentit cum zwinglio Calvinus) interficere, quamvis eum in Cœna pro hęretico, vel potius pro Diabolo & reprobo habeat. Neque zwinglius Lutherum, quamvis eum etiam maledicum & blasphemum judicet: Neque Calvinus Melanthonem, quamvis ab ipso in Predestinatione dissentientem: Neque isti omnes Osiandrum, licet ab ipsis in Iustificatione discrepantem. Denique non debent ij qui unum Deum, unumque Dominum confitentur alij alios damnare, nedum occidere. Alioquin, quisquis hoc faciet, is nulla arte effugiet, quin dicatur esse malus ille servus, qui tardanti reverti Domino conservos suos verberat. *Mat. 24. 48.*

Atque ut hanc de persecutione Disputationem tandem absolvam, exponam hoc ipsum, quod modo attigi, de hac ultimorum temporum persecutione oraculum, ex quo tota res (si quis oculos aperire volet) perspici poterit.

Sic igitur loquitur Dominus: Quod si quis est fidelis servus atque prudens, quem herus præfecerit suæ familiæ, ut ei alimomam suo tempore prębeat, beatus est ille servus, dixit Christ quem cum venerit ejus herus offenderit officio fungentem, profecto, inquam vobis, eum suis omnibus præponet facultatibus. Loquitur de bono pastore, qui oves Doctrina pascit, non interficit. Quod si malus ille servus cum suo animo cogitans herum suum diu *Mat. 24.*

adventum suum differre, cœperit pulsare conservos, epularique & potare cum vinolentis, veniet illius servi Dominus inexpectato ei die, ignotaque hora, & eum dissecabit atque ad Hypocritarum, hoc est simulatorum conditionem rediget, ubi ploratus erit stridorque dentium. Loquitur de malo pastore, qui oves occidit, non pascit. Et quod de dilatione adventus heri dicit, ostendit se loqui de ultimo tempore, cum jam diu adventum differre videbitur Christus. Nam antiqui illi Augustinus, Hieronimus, Hilarius, & cæteri, conservos suos non ita persequebantur: Metuebant enim adventum Domini: Sed hi ultimi servi perditi sic se gerunt, quasi venturus non sit. Item quod dicit, cœpit pulsare conservos, indicat se non loqui de persecutione eorum, qui non sunt conservi nostri, hoc est, qui Christum Dominum non agnoscunt, cujusmodi sunt Turcæ & Iudæi, nam illi nos propter Christum non persequuntur, neque nos vicissim eos. Sed loquitur de ijs qui persequuntur eos, qui eundem Dominum Christum agnoscunt, cuiusmodi sunt omnes sectæ quas supra commemoravi, exceptis illis impijs, qui Christum non agnoscunt, ideoque persecutionem non patiuntur. Et quod dicit. *Cœpit*, significat fore hanc persecutionem, non qualis fuit illa gentilium qui persecutionem non tantum inchoarunt, sed absolverunt, nec in ea impediti fuerunt: Hæc persecutio non durabit ad finem libidinis mali conservi, opprimetur enim repentino adventu Domini. Et quod dicit. *Epulari & potare cum vinolentis:*

Loqui-

Loquitur de potentibus & abundantibus, qui rebus secundis ebrij luxuriant & lasciviunt in conservos, id quod antea non faciebant, cum nondum abundarent. Nam Zwinglius & Calvinus & cæteri persecutores, antequam vires nacti sunt humiliter sese & modeste gerebant, & persecutores damnabant. Nunc saginati & vires adepti & opibus elati, lasciviunt, & infirmos conservos suos pulsant, quemadmodum prædixit olim Deus his verbis: Ego ipse inter obæsum pecus & macilentum dijudicabo, quoniam vos lateribus humerisque detruditis, cornib⁹que vestris arietatis in infirmissimas quasque, eousque ut eas foras sparsim quatiatis. Itaque ego meas oves conservabo, ne sint amplius prędæ, & pecus a pecore dijudicabo, eisque pastorem unum suscitabo, qui eas pascat, meum Davidem, qui eas pascet, eisque pastor erit. *Eze. 34.*

Item quod dicit Christus ipse: *Veniet illius servi Dominus inexpectato ei die, ignotaque hora:* significat securitatem, quæ tum erit, qualis fuit tempore Noë, quam securitatē affert tum hominum indurata improbitas, tū huic congrua hypocritarum blanda doctrina. Et quod dicit: *Eum ad hypocritarum conditionem rediget:* Ostendit huius persecutionis authores fore hypocritas, hoc est, fictos homines, qui volunt meliores videri, quam sint, ideoque famā suam omni ratione tueantur, & eos maxime insectentur, a quibus deteguntur. Nihil enim est hypocritis magis sanguinarium, ut ego ipsius Calvini verbis utar. Itaque omnes quicunque nominis

Christiani homines alijs, qui eundem Duum Christũ agnoscunt, persecutionem propter religionem inferunt. ij sine dubio sunt servns ille malus, qui conservos suos verberat. Perpende Lector totam rem, aperi oculos, & ama vearittem, invenies ita esse.

Hactenus ad ea, quæ de persecutione scripsit Calvinus, nunc ad ipsum jam Calvinum veniamus, qui omissa illa generali persecutione ad Servetum se confert, ut videam⁹ cuiusmodi sit hic ferreus Christi miles, & eius factum hoc examinemus, ne simplices ab hoc homine duplici decipiantur. Primum depellit a se crimen quo accusatur, quasi eius opera factum fuerit ut Viennæ, in provincia Lugdunensi captus fuerit Servetus, negatque credibile esse, sibi tantam esse cum Papistis familiaritatem aut gratiam. Quasi vero nesciamus missum postea fuisse Genevensem nuncium Viennam ad petendam sententiam ibi contra Servetum latam: aut quasi magna fuerit opus gratia ad efficiendum ut caperetur, a Papistis Servetus, qui contra Papam tam acriter scripserat, eumque in ipso libro, qui Viennæ tum imprimebatut Antichristum esse pluribus rationibus demonstrat: aut quasi non facile possit inter Pilatum & Herodem coire amicitia adversus aliquem, qui vtrique sit adversarius. Enimvero Calvinus hoc crimem sic negat, ut propemodum fateatur. Sic enim scribit.

Calvinus. 130.

Nec vero, si vere id mihi obijcerent, putarem esse negandi causam, qui non dissimulo me authore

thore factum esse ut in hac vrbe deprehensus, ad causam dicendam postularetur.

Vaticanus.

Quasi hoc dicat: Si curassem eum Viennæ capiendum, recte fecissem, cum id Genevæ fecerim, & recte fecerim. Ergo si poterat efficere ut Genevæ caperetur, debuit id facere, cum id rectum esse fateatur: poterat autem facillime: nihil enim facilius est, quam efficere vel levissimo indicio ut capiatur in Gallia, qui aliquid, nedum tam atrocia dixerit, nedum scripserit in Papam. Itaque non jam dubito, quin Calvinus id fecerit Et insuper quod commemorat: vel scripserit vel scribendum curaverit: si negabit Servetus, habemus euis manu scripta quædam, que ostendentur, si voletis: Hęc scribebantur Lugdunum a Geneva ad Papistas: Iam vero perpendatur qualis sit hæc confessio Calvini. Si effecissem, inquit ut caperetur in Gallia Servetus, recte fecissem, cum Genevæ fecerim. Atqui si recte fecisset Calvinus, recte fecissent etiam Papistæ, qui Servetum cœpissent & occidissent judicio Calvini. Ergo Papistis etiam sicut Genevensibus, licet hæreticos occidere. Atqui supra dixit Calvinus hoc non nisi pio magistratui licere: Ergo Papisticus magistratus pius est, potestque de religionis causis non minus judicare quam Genevensis. Quod si pius est, & hoc ei licet, potest judicio suo, hoc pio, interficere eos, quos judicat hæreticos, potest ergo & Calvinum ipsum & Calvinianos omnes occidere, quoniam eos habet pro hæreticis. Quod si dicet

 Calvinus

Calvinus hoc illis licuisse in Serveto, sed in aliis non licere: quis admittet hanc exceptionem? sic enim dicent illi: Nos Servetum, non ut Servetum, sed ut hæreticum interficimus, atque hinc colligimus ex tua, Calvine, Doctrina, licere nobis interficere eos, quos Serveto similes, hoc est, hereticos judicamus: Aut enim hoc permitti nobis non debet, aut illud debet juditio nostro permitti: Cum enim Magistratus simus, judicio nostro, non alieno utimur. Quod si nobis juditium de religione eripis, eripe etiam potestatum judicandi de Serveto. Sin permittis: Permitte etiam de te, quem eodem loco habemus quo Servetum. Quemadmodum enim si consilio tuo inducti, homicidas occideremus, & te ipsum, si homicidam judicaremus, occideremus. Vt tantum adversarios, non etiam nostros nobis interficere licere judicemus.

Calvinus. 131.

Obstrepant licet vel malevoli, vel malefici homines, ego libenter fateor, ac præ me fero (quia secundum (1) urbis leges aliter cum homine jure agi non poterat) (2) ex me prodijsse accusatorem: Nec inficior meo consilio dictatam esse (3) formulam, qua patefieret aliquis in causam ingressus.

Vaticanus.

(1) Genevæ Lex est, ne quem die Dominico capi liceat, nisi ob capitale facinus. Itaque cum accusatorem sumpsit die Dominico Calvinus, Servetum capitis accusavit, aut contra urbis Legem fecit (2) In Lege Mosis accusatores sunt testes, qui dicere possunt, vidi aut adfui,

adſui, primique lapidem jaciunt. An Calvini coquus potuerit de Serveti erroribus circa Trinitatem, & Fatum, & ejus generis obſcuriſſimas quæſtiones (in quibus tot jam ſeculis ſudavit Eccleſia) judicare, & primus lapidem jacere, aut ut falſus teſtis eodem ſupplicio affici, ijs judicandum relinquo, qui norunt hominis ignorantiam. Item an Paſtori licuerit ex culina ſua accuſatorem rei capites depromere, judicent ij qui Apoſtolorum mores ingeniumque norunt. Coquus ille non eſt accuſator, ſed muta perſona & accuſatoris larva, ut ea deceptus Magiſtratus, pateretur verum accuſatorem Calvinum totam Serveti cauſam agere, id quod ei non licuiſſet, ſi ſecundum urbis Legem fuiſſet ipſemet in vinculis. (3) Quæ potuerit eſſe illa formula non video, niſi quod ex eventu ſuſpicor huiuſmodi fuiſſe: Dico hunc hominem eſſe hæreticum, hanc accuſationem concludit deinde Calvinꝰ: Hæretici ſunt occidendi, ergo dico hunc hominem eſſe occidendum ea lege, ut niſi reum peregero, occidar pro eo lege Talionis. Hæc eſt accuſatio Calvini. Reſpondeat nunc coram Deo, qui videt omnium corda, an ipſe ſic ſecum agi velit, quomodo egit cum Serveto.

Calvinus. 132.

Cęterum quid mihi tunc fuerit conſilij ex ipſo deinde actionis progreſſu apparuit.

Vaticanus.

Imo ex hoc quod captus eſt die Dominico, & ex ipſo eventu, hoc eſt, ſupplicio.

Calvinus. 133.

Simul enim ac vocati ſumꝰ ego & collegę mei mini-

minime per nos stetit, quo min⁹ placide nobiscum de suis Dogmatibus conferre liberum illi esset.

Vaticanus.

Misera & nimium serva Libertas disputandi, cum, nisi velis in sententiā Calvini descendere, conclusionem facturus sit carnifex. Hoc aliunde quam ex Evangelio habet Calvin⁹. Si volebat disputare, non debebat accusare(nam accusationi respondet nō disputatio, sed causę dictio) sed poti⁹ ad cœnam placide invitare. Nec erat quod metueret fugam Serveti, si ei liberam a vinculis disputationem permisisset, cum ille sua sponte eam ob causam fortassis Genevam venisset: Aut si fugam metuebat, ne sic quidem compedes inijcere debuit: Nec enim disputari debet cum invitis.

Calvinus. 134.

Imo perinde accessimus, ac si ex vinculis reddenda esset doctrinæ nostrę ratio: ac si quid objiceret, testati sumus nos ad respondendum paratos esse.

Vaticanus.

Valde credulus erit, qui hoc credet. Ex vinculis qui causam dicit, pœnam formidat. Hanc formidare qui possunt illi Ministri? cum Magistratus de religione non nisi ex ipsorum disciplinā & sententia pronunciet?

Calvinus. 135.

Cum subinde plenis buccis convitia in me evomeret, quorum indices ipsos pudebat ac pigebat, ab ejus insectatione abstinui.

Vaticanus.

Equidē Servetū non laudo, si fuit intemperantioris Linguæ: tametsi magnopere videndū est,

quo

quo quid animo dicatur. Si quid dixisset in Calvinum Servetus, quo animo dixit Iudæo Pontifici Paulus: *Percutiet te Deus paries dealbate*, *Act. 23. 3.* non ego id temere reprehendendum existimarem, cum verum esset. Sed si quid intemperantius dixit Servetus cum homine intemperantissimo confligens, nactus fuit Calvinus hominem se dignum: tametsi eum a Calvino reprehendi est indignum: cum ipse Calvin⁹ convitijs sic abundet, ut sint qui dicant ex ejus scriptis confici posse dictionarium convitiorum. Itaque quod dicit, se a Serveti insectatione tunc abstinuisse, id mihi creditu valde difficile est, cum eum quotidianis concionibus palam traducere soleret, & nunc insuper edito Libro, ob scænum canem, & equum desultorium, & quid non? appellans, toto orbe traducat. Credam⁹ eum in ipso conflictu ab ejus insectatione abstinuisse. Ille vero aut non abstinuit, aut voluit hac spe modestię conviciandi postea licentiam apud Magistratum, nec non apud omnes nationes emereri. Alioquin si vera fuisset modestia, nunquam eum, nec tunc absentem, pro suggestu, nec nunc mortuum toto orbe proscinderet.

Calvinus. 136.

Adde quod nullum instabat gravioris pœnę periculum, si quo modo fuisset sanabilis.

Vaticanus,

Qui morbis corporis in carcere laborāt, emitti solent aliquando, ut sanari possint. Calvin⁹ insanabilem putat Servetum, qui si sanus fuit, potuit tanta inquietate ęger effici: sin jam ęger, potuit reddi insanabilis, nisi forte corporis morbos magis gravant vincula, quam mentis,

Calvinus

Calvinus. 137.

Atqui tantum abfuit a quærenda moderatione ut jactantiæ & ferociæ plenus, sana omnia & utilia consilia petulanter respuerit.

Vaticanus.

Tum vero sanus fuisset, si Calvini consilia Servetus sana fore credidisset, Si sic in vinculis teneretur in Hispania Calvinus, experiretur quam sana sint hostium consilia.

Calvinus. 138.

Porro quam absurdæ execrandęque blasphemię illi inter loquendum exciderint, alibi forte oportunius dicetur: Hoc tantum in pręsentia testatum volo, me non ita capitaliter fuisse infestũ, quin licitum fuerit vel sola modestia (nisi mente privatus forem) vitam redimere.

Vaticanus.

Ergo non propter hæreses, sed propter immodestiam occisus est. Non debent ergo hæretici necari, nisi sint immodesti. Cur hanc regulam non prius tradidit Calvinus, cum de hęreticis occidendis disputaret? Deinde si modestia hęreticis vitam servare potest, cur non & homicidis? Cum hæreticum esse gravius sit Genevę, quam homicidiam, ut ex supplicij gravitate perspicitur Enimvero non obscure, si quis oculos habeat, ostendit Calvinus, Servetũ odio cecidisse Calvini.

Calvinus. 139.

Sed nescio quid dicam, nisi fatali væsania fuisse correptum, ut se præcipitem jaceret.

Vaticanus.

Calviniani quidam cum Calvini factum defendere non possent eo postremo confugerunt, ut

ut dicerent, Serveto fuisse fatale comburi Genevę. Hac ratione licet excusare quecunque fiunt? Sic erat in fatis. Quod si quem occidimus, sic erat in fatis. Et tamen fati nomen Calvinus ipse in suis Instit. Cap. 14. sect: 40. non recipit, cum tamen rem ipsam sic teneat, ut fortunæ nomen plane reijciat.

Calvinus. 140.

Excipiet forte quispiam, cur ultra Pauli mandatum progressus sim, qui desperatos quoque hęreticos Timotheo, solum vitandos esse scribit. Atqui mihi in promptu est excusatio, mihi satis fuisse hominem, cuius deplorata impietas mihi nota erat, vitare, et alios monere vt idem facerent. Sed illa cavendi prudentia neque me, neque alium quemlibet fuisse impeditum, quo minus quisque piorum Magistratuum, Hæreticum coërcendum pro oblata sibi facultatę curaret. *2. Timo. 1. 15. Tit. 3. 10.*

Vaticanus.

Sic se excusant Sorbonę Magistri: Hæreticum accusant & damnant, & eundem Magistratus servare jubent si possent, sed in medio armatorum satellitum, ex quorum manibus vix etiam volucris posset evolare. Sic fecit Calvinus: hominem accusavit: hæreticum & impium, deploratum, & quovis Latrone scelestiorem pronunciavit, & toto orbe sic infamavit, vt stijgium aliquod monstrum esse eum putarent homines. Hoc ubi fecit, & Magistratui suo summa diligentia & labore persuasit, non posse illum dimitti, quin desciſſeret Magistratus ab officij sui fidi (sic enim supra dixit) hominem tanquam hęreticum devitat: De ejus ipsius

morte

morte nullum verbum facit Magistratui. Affer aquam Calvino, ut lavet manus suas: Innocens est ab eius sanguine. Nobis non licet interficere quenquam. Sed si hunc dimittis, non es a-
Mat.27. 24. micus Cæsaris. O Calvine, Calvine, putas Deum hominem esse similem, ut istis Sorbonicis
Iohan.18 31 & 19 12. sophismatis decipi se patiatur? Ipsi tui Discipuli, qui te alioquum tanti faciunt, ut tecum casuram putent ecclesiam, te hac in parte defendere non possunt. Tantum hoc dicunt, non sine gravissimis causis (sed quę lateant) fecisse te, ut hominem illum occideres: *Quod perin-
Iohan.18 30. de est ac si dicant: Si non fuisset Sertus malefactor, non tradidisset eum Calvinus Magistratui, O quamtum abest hic homo ab Helizæi ingenio, de quo supra locuti sumus: Aut Davidis, qui cum esset ipse Rex vnctus Divinitus, Saulum tyrannum, ipsiusque & regnum injustæ tenentum, & vitę armata manu insidiantem, tantum abfuit ut occideret cum posset, ut ne occidi quidem passus fuerit: Aut Christi, qui adulteram ex manu Magistratus tam mirabili astutia liberavit.

Calvinus. 141.

Idem Apostolus, qui tantum a congressu Hę-
1.Tim.1. retici Thimotheum prohibet, se Hijmenæum & Alexandrum Sathanæ tradidisse palam asserit.1 Vt discerent non blasphemare. Si tunc Paulo ad manum fuisset pius Magistratus, & strenuus gloriæ Christi vindex, ego quidem non dubito, quin illos puniendos libenter daturus fuerit, quos permissa sibi divinitus castigatione in ordinem cogebat.

Vaticanus.

Hoc

(1) Hoc est, ut pudore & infamia moti, ad sanitatem redirent: Quemadmodum factum est in Corinthio illo, quem Paulus excommunicavit ad pœnam corporis, ut se corrigeret & iterum in Christianorm communione acciperetur, id quod factum est. Paulus vero, tantum abest vt *illum* Magistratui *puniendum* libenter daturus fuerit, vt sic de *illo* postea scribat Corinthijs; Satis est illi ea castigatio plurium, ut contra potius ei condonetis, ac cum eo consolemini, ne forte immodico mœrore conficiatur, Quamobrem hortor vos, ut charitatem in eum exerceatis. En metuit ille ne ob excommunicationis infamiam mœrore conficiatur quanto id magis metuisset a carnifice, ne quid interim dicam, quam iniquum fuisset eundem bis puniri, videlicet a Paulo & Magistratu. Cur non idem metuit Calvinus in Serveto, qui supplex Magistratum frustra petijt, vt gladio perire liceret, ne immodico ignis cruciatu ad desperationem adigeretur? Vbi tum fuit Calvinianorum charitas? Cur non tradidit Calvinus illum Sathanæ, ut disceret non blasphemare? Tradidit carnifici: ei Satan fuit carnifex: Quomodo discet nunc Servetus non blasphemare, sed Deum laudare? Cum scriptum sit: *Non mortui lau dabunt te Domine*: Aut quomodo tum didicisset Hijmenęus & Alexander non blasphemare, si accusante Paulo venissent in manus carnificis? Soletne Carnifex dedocere blasphemias? Ego vero adeo a Calvino discrepo, ut non dubitem, quin Paulus Magistratum oraturus fuerit, vt illis veniam daret, quo possent discere non blasphe

1. Cor. 5.

2. Cor. 2. 6.

Psal. 6.

L mare

mare : Nam hoc Pauli clementię conveniens est, & fecit tale aliquid in Philemone, quem pro Onesimo servo, antea nequam, tam offitiose orat : Si quid te læsit, inquit, aut tibi debet, id mihi imputato. Ego Paulus scripsi mea manu : Ego dissolvam. Hæc tam procul absunt a mente Calvini, quam cœlum a terra. Putat Calvinus Paulum fuisse Calvinianum : & quia non potest dicere illum tale aliquid fecisse (repugnat enim ejus tota Doctrina, totaque in Christo vita) dicit facturum fuisse. Itaque si fuisset Paulus, qualis fuerat, antequam factus est, Paulus certe fecisset, & talem nunc nobis facit illum Calvinus, mavultque Saulum quam Paulum. Enimvero si facturus fuisset Paulus hoc in hęreticis, cur non fecit in maleficis? Habebat ad manum Magistratum ad puniendum homicidas, adulteros, falsos testes, &c. In quibus puniendis Magistratum ministrum esse Dei ipse testatus est in suis Epistolis : Cur nullum vnquam facinorosum accusavit, cum posset? Aut cur hæreticos solum deligeret ad accusandum, cum huiusmodi ineptam vnius rei, prætermissis alijs, electionem reprehendebat in Papistis ipse Calvinus in primis Instit: pag. 389 his verbis: Mandatur scilicet in Lege de mactando vitulo, de ejus adolenda adipe, de arietibus secandis & comburendis & innumere alię observationes, quibus prętermissis, miror cur vna unctio olei illis placeat. Et ego rectius miror cur tam multis facinorosis pretermissis, quos Lex occidi jubet, Calvino vnorum hæreticorum accusatio placeat, de quibus nulla in

Phil. 18.

la in uninersa Lege syllaba inveniri potest.

Calvinus.142.

Neque enim quod mihi & omnibus verbi ministris prescriptum est, judices constringit ac ligat, ne munus sibi divinitus injunctum exerceant: Ac ne mihi quidem obstat (1) vt eorum præsidio fideique Dei veritatem, ubi ita opus est, commendem.

Vaticanus.

(1) Hoc est, quo minus Hæreticos accusem ac dicam: Fides est in vestro præsidio. Si hunc dimittis fidem & officium vestrum deseretis. Hoc idem est, quod modo dixerat Paulum fuisse facturum. Quod, quid aliud est, quam dicere: Crucifige tu Pilate: Nobis non licet interficere quenquam: Sed accusare licet, & Magistratui minari, nisi fuerit obsecutus. Et hic quidem sibi contradicit Calvinus: Supra enim scripsit se nullum de pœna Serveti, ex quo conjuctus fuerat, verbum fecisse. Et tamen hic scribit hoc esse officij Ministri, & Paulum facturum fuisse. Atqui si Paulus facere debuit, debuit & Calvinus: & si fecit Calvinus, mentitus est cum negavit: Si non fecit, deliquit in officium suum. Cætera quę de Serveto scripsit Calvinus, & tres illas questiones omitto, non quia non multa ibi reprehendenda sint. Sed quia Calvini errores omnes refellere esset infinitum: Deinde quia mortuus est Servetus, quo fit, vt si quid in eum forte Calvinus mentitus est, ejus fides sit penes Calvinum: cui quantum credi debeat atque oportebat ostendunt ea,

quæ supra posuimus. Facile est de mortuo maledicere: Sed resurget aliquando Servet⁹, sicut & nos: nec ita extincta est eius anima a Calvino, ut non possit Calvinum (si modo falsum dixit de eo testimonium) refellere coram Deo, qui longe aliter judicabit quam Calvinus. Veniamus ad mortem Serveti, quam Calvinus ita describit, ut simul clementiam suam depingat: Sic enim loquitur.

Calvinus. 143.

Cæterum ne male feriati nebulones, vecordis hominis pernicacia, quasi martyrio glorientur, in eius morte apparuit beluina stupiditas, unde judicium facere liceret, nihil unquam serio in Religione ipsum egisse.

Vaticanus.

Hic exerit se modestia Calvini.

Calvinns, 144.

Ex quo mors ei denunciata est, nunc attonito similis hęrere, nunc alta suspiria edere, nunc instar Lijmphatici ejulare.

Vaticanus.

Et si credo omnia hæc invidiose & mala fide a Calvino dici, & accusatorie magis quam vere narrari, tamen etiamsi vera essent, nullā hic video beluinam stupiditatem. Eam enim in militibus & in humanis hominib⁹ intelligimus, qui metu mortis non magis moventer quā belue. At hominem moveri, humanum est, non beluinum. Edidit, & Ezechias alta suspiria, cum ei nunciata esset mors longe mitior quam Serveto: Et columbæ sive gruis ritu querulos & misera-

ſerabiles clamores emiſit. Iobus ipſe, qui patientiæ ſpecimen proponi ſolet, hęſit attonito ſimilis totos ſeptem dies, cum tamen amici ei non tam triſte nuncium afferrent, quam inimici Serveto. Ipſe denique Chriſtus ſanguinem præ angore ſudavit, & animam triſtem habuit uſque ad mortem, ac in ipſo patibulo, quaſi deſertus, miſerabiliter exclamavit: Mi Deus, mi Deus, cur me dereliquiſti? Poſſet hæc omnia Calvinus eadem arte vituperare, & oblique, & ſiniſtre, ut ſuſpicaces ſolent, torquere, quod tam fieri non debere ſcripſit in primis Inſtit. Vt ſupra oſtendimus. Eſt omnino ea ſophiſtarum natura, ut omnia pervertere ſciant, eademque modo vituperare, modo laudare. Si commovetur morte Servetus, dicunt eſſe beluini ſtuporis: Si moritur conſtanter Anabaptiſta (ſicut aiunt eorum hominum incredibilem eſſe in perferendis ſupplicijs conſtantiam) dicunt eſſe pertinaciam, virtutemque Diaboli: In quo ſane ſunt Iudæorum diſcipuli, quibus nec Iohannis auſteritas, nec Chriſti comitas ſatis faciebat. Rurſum ſi quis ex ipſorum diſcipulis conſtanter occubuit, tollunt laudibus in cœlum: ſin commotus eſt, non carent excuſationibus, id quod equidem non repręhendo, eſt enim charitatis hęc in bonam partem interpretari. Iob.2.13 Luc. 22. 44. Mat.27. 49. Mat. 11. 18.

Sed quod non idem in alijs quoque faciunt, id ego probare non poſſum. Spectandus omnino eſt animus, non corporis facies aut geſtus. Poteſt enim fieri ut & pius aliquis in morte eiulet, & impius cantet: Et contra ut & pius cantet & impius eiulet: Itaque non

 ſunt

sunt hęc amini certa indicia. Servetum quidem commotum fuisse nihil miror: Ipse Calvinus, qui nunc mortuo tam petulanter insultat, si esset in eo statu, nescio quid faceret, cum sepe soleat, si quis in eum Liberius locutus est, cadere statim in morbum suum, quem hemicraniam appellant; Tanta est iracundiæ impatientia. Fere fit ut quo quisque magis ferocit, dum abest a poena, idem magis frangatur dum ea ad est. Credite mihi Lector, aliud est de igne sub umbra Loqui, aliud videre se a carnifice sulphure aspergi, & faciei in orbem admoneri. O Calvine, Calvine, vide ne tecum in hac (id quod esset melius) vel in futura vita, talione agatur.

Calvinus. 145.

Quod postremo tandem sic invaluit, ut tantum Hispanico more reboaret: Misericordia, Misericordia.

Vaticanus.

Nę illi justa causa erat, cur Dei Misericordiam imploraret, cum esset in manibus hominum adeo immisericordium, vt ab eis decollationem precibus impetrare non potuerit, quam impetrare potuisset in media Canibalum barbarie.

Calvinus.

Vbi ad locum supplicij ventum est, hortatu optimi fatris, symmysteque nostri Farelli tandem ægre extorta ei vox fuit, vt populus communes secum preces conciperet. Porro qua id conscientia sibi facere permiserit non video. Scripserat enim manu sua, fidem hic Diabolicam regnare; Nullam nobis esse Ecclasiam nullum

nullum deum, quia infantes baptisando Christum abnegaremus. Quomodo igitur se in precibus socium populo adjuncxit, cujus fugienda erat communio? An non profanatio est sacræ vnitates, communem Deum & fidem cum impio & profano coetu profiteri?

Vaticanus.

Et Tigurinos Lutherus vocavit animarum latrones: Sed id se de Magistris dicere testatus est. Pro plebe quidem Dominus oravit. Potuit & Servetus illa scripsisse de Magistris, & tamen de plebe non ita sentire: Aut certe non de omnibus. Qui putat populum decipi, non continuo vniversum populum abominatur. Christus ipse & Apostoli in templo orare, & sacris interesse non dubitaverunt: & tamen testatus est Christus Iudæos ex eo templo fecisse speluncam latronum. Quomodo ergo se in precibus socium Latronibus adjungit? Ipse Calvinus Ecclesiam habet in qua plurimi sunt hijpocrite & impij, ut supra ex ejus Scripturis ostendimus: Qua igutur, conscientia sibi permittit orare communem Deum cum hijpocritis & Impijs? *Luc. 19.*

Calvinus. 147.

Ac pro eo quidem ut supplicaretur, hortatus est Farellus: Sed nominatim ut Dominus perditi alias hominis misertus, ab execrandis eum erroribus ad sanam mentem reduceret.

Vaticanus.

Ergo propter errores accusatus est Servetus: atque tamen Lex neminem propter errores interficit, etiam si quis patrem suum per errorem interfecisset: Errarunt & gravius quam Ser-

vetus Iudæi, qui Christũ crucefixerunt: Quod si propter homicidium erant morte digni, at propter errorẽ certe non erant. Erravit & Thomas gravissime, qui neque sacris scripturis, neque Christi predicatione, neque communi tot Apostolorum & Discipulorum testimonio adduci potuit, vt crederet revixisse Christum: Et poterat tantus error a Calvino blasphemia vocari: An ideo erat occidendꝰ? Credidit Servetus revixisse Christum, & tamen non vidit, cur si in alijs errabat, non servatus est? Vt esset Locus ad resipiscendum? Si Thomas tum occisus fuisset, nonne ejus saluti fuisset preclusa via? Cur Domino tempus auxilij prescribimus? Vt si hunc hominem ab erroribus ante accensas flammas non revocaverit, sit ei hodie flagrandum? Quid si cras, cum venturus est Dominus? O si occideret Deus omnes errantes, quis evaderet? Sed dicent, errores illos esse blasphemiam. Itaque Musculus in Epitaphio, quod de Serveto scripsisse dicitur, sic Loquitur:

Servetus ex Hispania,
Qui tam diu non debuit
Inter fideles vivere,
Hic triplicem nos bestiam,
& Sathanæ fantasmata,
Illusiones Dæmonum,
Habere dicit pro Deo,
Et propter hanc blasphemiam,
Linguamque detestabilem,
Non propter errores graves,
Quibus scatebat plurimis,
Flammis Genevæ extinctus est.

Vides

Vides quid vocet blasphemiam, Non quod dixerit Servetus Deum esse triplicem bestiam, aut Dęmonem (quemadmodum plebi falsissime persuasum est) sed quod dixerit eos ignorare, quid sit Deus, & pro vero Deo colere non verum. Hoc autem debet non blasphemia, sed error appellari. Sed quemadmodum assentatores initio vitia eorum, quibus adulantur, extenuant, eum qui iracundus est, severum appellantes & qui avarus frugi, & qui prodig⁹ Liberalem. Ita Calumniatores eadem exaggerant, errorem appellantes blasphemiam, & aliorum verba sinistre & in malam partem interpretantes. Si dixisset Servetus, Deum esse Dæmonem, esset vera blasphemia, *& ego eum puniendum esse gauderem*. Sed si dixit eos nescire quid sit Deus, & ideo falsum Deum colere, non contra Deum locutus est, sed contra homines. Alioquin possent hoc pacto Iudęi Christum accusare, cũ dixisset eos ex domo Dei fecisse speluncam Latronum. Item cum dixisset eos esse a patre diabolo, & tamen confessus fuisset esse filios Abrahami, potuissent dicere ab eo Abrahamum appellatum esse Diabolum: Quod idem dico de Deo, quoniam ipsi se Dej filos asserebant. Huismodi calumnijs oppressum fuisse Servetum video. Persuasum est populo, illum appellasse Trinitatem Cerberum, id quod falsum est: Credidit enim in Patrem, & in Filium & in Spiritum sanctum, que Trinitas est: Sed hæc aliter inter pretatus est quam ipsi: Hanc interpretationem illi in vulgus invidiose exagitarunt, ut putent homines Servetum ali-

 quem

quem fuisse Rabelesij aut Dolęti, aut Villanovani similem, qui nullum Deum aut Christum haberet.

Calvinus 148.

Ipse interea, quanquam nullum resipiscentię signum dedit, pro suorum tamen dogmatum defensione ne verbum quidem facere conatus est. Quid sibi quæso hoc vult, quod jam sub manu carnificis positus (1) quum æternum Dei filium invocare pertinaciter renueret, non breviter saltem (quod liberum erat) excusaverit? Quisnam morté hanc martyris esse dicet? Doctrinam pro qua certandum erat, non modo (2) omni patrocinio destitutam relinquere, sed voluntario silentio tenere suppressam? Nemo enim a loquendi ipsum libertate prohibuit.

Vatięanus.

Eadem possent de Christo dici: Non ego Servetum similem esse dico Christo: Sed dico similem hic esse Calumniam, Nam Christus sub manu carnificis disputare noluit. Ego palam locutus sum mundo inquit. Quid disputaret Servetus, cum carnifex esset antegressæ disputationis conclusor ardens? Aut persuadere potuisset ei populo, qui eum pœne pro Diabolo habebant? Mihi vero videtur prudenter tacuisse. Eterni Dei filium in medijs etiam flammis invocavit. Negabat enim dici filium æternum: quoniam filij appellatio tribuitur ei a nativitate, qua natus est ex virgine: Antea fuisse non filium, Sed sermonem. Quod si hic erravit, hęccinæ justa causa fuit cur occideretur? Imo eam de-

Iohan.18 20. *Nota.*

defendit sanguine suo, quoniam verbis nihil profecerat. 3. Loqui enim supervacaneum est, ubi vi res geritur: Silent enim Leges & oris prudentia inter arma.

Calvinus. 149.

Vnde, quod paulo antę attigi, liquere arbitror, quandiu impune se ludere putavit, plus satis fuisse audacem; Vbi autem soluta est justa merces, desperatione concidisse.

Vaticanus.

Imo quandiu verbis & rationibus Locum fore putavit, locutus est: Vbi autem pulsa est è modio sapientia, & vi rem geri videt, desperavit de illis oratione persuadendis: At de Dei misericordia non desperavit, nisi forte desperantis vox est illa, qua jam ore clamabat: *Iesu fili Dei æterni miserere mei*. "

Sequitur jam in Libro Calvini descriptio dogmatum Serveti, & longa illa, cum alijs de rebus, tum potissimum de Trinitate altercatio, de qua ego multis de causis nihil loquor. Primum quod res est ardua & difficilis, de qua antiqui multũ digladiantes (sic enim illos exagitavit hęc quæstio, quomodo nostros quæstio de Cœna) nec inter se, nec singuli etiam secum ubique consenserunt, qua de re scripsit ipse Calvinus in Instit. Cap. 6. Sect. 24. Vbi Hilarius fœlices Galliæ episcopos prædicat, quod aliam nec excudissent, nec recepissent, nec omnino cognovissent confessionem, quam veterem illam

Iam & simplicissimam, quę ab ętate Apostolorum apud omnes Ecclesias recepta fuerat. Itaque malo cum illis Gallię Episcopis fœlix esse, quam hujus rei majestatem curiosius scrutando opprimi ejus splendore. Calvini quidem Disputatio ejusmodi est, ut ego eam legens multum laborem, nec tamen intelligam: Rursum deposito de manibus Libro, jam nesciam quid dicat. Si alij acutiore sunt ingenio, ita ut eum intelligant, utantur sane suo ingenio, &, an Servetus erraverit, judicent qui intelligunt: modo ne putent occidi debuisse propter errores.

Altera causa est, cur hac de re disputare nolim, quod Serveti Libros, ex quibus ejus *mens* penitus perspici possit, non habeo. Nam ex *mutilis* quibusdam locis, quos ex ejus Libris Calvinus accusatorie deprompsit, scire quid senserit non facile possim, non magis quam ex Iudęorum Libris, quid Christus docuerit. Facile est, cum amputaveris brachium ex corpore, expugnare brachium. Ita facile est, combusto libro, detorquere & agitare aliquem sumptum ex eo locum. Prodeat liber Serveti, videamus quid dixerit: & quæ mala esse cognoverimus, reijciemus: alioquin accusatori non credemus. Accidit eo quod cum hęc scriberem, narravit mihi quidam meus amicus, incidisse se in juvenem Gallum, qui dixerit se hanc Serveti cum Calvino altercationem Genevę, cum imprimenda foret, magna ex parte descripsisse: Sed non fideliter impressam esse, quin multa mutata esse,

An ita sit, ille juvenis viderit: mihi interea

tea de Calvini fide dubitare non est nefas; Auget meam hanc dubitationem locus quidam in Serveti responsis, pag 100. Vbi sic Calvinum alloquitur: Nega te homicidam, & actis probabo. Quem locum legit quidam scriptum Serveti manu, & mihi, antequam scripsit Calvinus librum hunc, dixit scriptum fuisse in hanc sententiam: *Negas te esse homicidam, sed id actis aut re probabis: nam si qua poteris interficies, atque re ostendes, te esse homicidam.* Et certe probabilius est ita scripsisse Servetum: quid enim sibi vellet, si scriberet, & actis probabo? Non enim probavit Servetus moriendo, sed Calvinus interficiendo. ,, ,, ,, ,,

Vtcunque est, ego disputationem prætermitto, ad Servetum venio, quem scribit Calvinus provocasse ad alias ecclesias, quod an ipse sponte sua fecerit, an ab aliquo emissario, qui se ei benevolum fingeret, impulsus, an quia de Genevensium ęquitate desperans, spem dubiam, quam nullam tentare mallet, aut etiam ob has omnes causas, Nescio. Hoc scio, Calvini morem esse hunc, ut soleat huismodi controversias ad amicos suos deferre, & adversarios interrogare, an illorum judicio stare velint. Habet enim Neoconi Farellum, & Lausaniæ Viretum: Habet & in cæteris Ecclesijs precipuis, de quorum mutua opera non dubitat, ad quos provocare perinde est, ac si ad Calvinum ipsum provoces. Igitur cum ille ad ecclesias illas provocasset, scripsit Senatus Genevensis ad quatuor Ecclesiarum Pastores, videlicet Tigurinę, Bernensis, Basilęensis, & Schaffusianæ, quiquomodo

modo respond erint, sic scribit Calvinus:

Calvinus. 150.

Cordate responderunt: Totum Librum detestabile esse Monstrum, & innumeris erroribus esse conflatum. Denique omnes vno consensu, & quasi vno ore, pronunciarunt, non minus sincere, quam Iustæ reprehensos a nobis fuisse errores, quorum causa clamabat Servetus sibi plusquam atrocem fieri injuriam. Itaque supervacuum fore putavi, singula responsa ordine recensere. Tantum ut sciretur nihil amplificandi causa a me hic fuisse dictum Tigurivę ecclesiæ epistolam tanquam specimen proponere libuit, quæ adeo nihil ab alijs diversum continet, vt inspecta liquidam omnium fidem factura sit.

Vaticanus.

Ostendit Calvinus ab illis vno consensu vniversam Serveti doctrinam fuisse damnatam, & eos quasi vno ore eadem scripsisse, id quod tibi Lector, animadvertendum est: Pertinet enim ad id, quod mox dicturi sumus. Deinde Tigurinorum epistolam vice omnium ponit, in qua illi Servetum vt hæreticum & blasphemum damnant: Deinde Genevensi Senatui de eo interficiendo callide consilium dant his verbis.

Tigurini. 151.

Multa ergo fide, ac diligentia contra hunc opus esse judicamus, præsertim cum ecclesiæ nostrę apud exteros male audiant, quasi Hæreticę sint, & Hereticis faveant.

Vatica-

Vaticanus.

Exteros vocant Papistas, apud quos male audire nolunt. Atqui Papam habent pro hæretico, vel potius pro Antichristo: itaque volunt ab Antichristo inire gratiam, & apud eum bene audire. En Christianos.

Tigurini. 152.

Obtulit vero in præsenti sancta Dei providentia occasionem a epurgandi vos, simul ac nos a prava mali hujus suspicione, si videlicet vigilantes fueritis, Diligenterque caveritis, ne veneni hujus contagio per hunc serpat latius. Id quod facturos vos nihil dubitamus.

Vaticanus.

Si hominibus placerem Christi servus non essem, inquit Paulus, Isti ut Papistis (quos pro Antechristianis ducunt) placeant, consulunt, Genevensibus vt hominem interficiant: Ita sanguine Serveti repurgentur. Neque tamen illi vero dicunt: Interficite, sed malitiosa circum locutione id ita innuunt, ut tantundem ita consequatur, & interea excusare se possent, si accusenter. Sed quis non intelligit eos Genevensibus consulere, vt sic, aut etiam asperius tractent Servetum, quam ipsi tractarunt Anabaptistas? quorum cum magnum numerum propter iteratum Baptismum occiderint, quis dubitat, quin de Serveto etiam graviora statuant? Cum in eo & illud idem, & alia insuper & multa & maiora damnant. Itaque non fuit difficile Genevensibus, præsertim interprete Magistro Calvino, Gal. 1. 10

eorum

eorum mentem percipere. O sanguinarium & Pharisaicum consilium. Christus ut dedecus mortemque nostram deleret, seipsum ad Dedecus & mortem obtulit. Isti dedecus, quo apud Papistas laborant, sanguine alieno purgare voluerunt. Vę vobis homicidæ hypocritæ: Si vultis istud dedecus abolere, interficite vos ipsos, quos illi (ut vos ipsi scripsistis) hęreticos esse judicant. Vę vobis, cum de vobis be-
Luc. 6. nedicunt homines, sic enim faciebant falsis prophetis maiores eorum. Væ vobis, qui illius consilium imitati estis, qui dixit, prestare ut u-
Ioh. 11. nus homo moreretur, ne toto gens periret. Sic
53. vos Servetum occidi voluistis, ne vos deinceps apud Papistas male audiretis. Ite, & cum Papa vestro societeatm coite, neve amplius cruentam istam dissimulate concordiam.

Tigurini. 153.

Dominus Iesus Christus conferat pietati vestrę sapientiam, & fortitudinem, viam, rationem & modum justum faciendi voluntatem eius, ad gloriam nominis ipsius, & ad fidei sincerę, Ecclesiæque conservationem.

Vaticanus.

Iesus est Servator, qui venit ad servandum, non perdendum. Eius Sapientia est, ægrotis sapienter mederi, non eos occidere. Via est, crucem ferre, non alias cruce occidere. Ratio & modus justus faciendi voluntatem eius, est Zyzania usque ad messem relinquere, non evellere. Gloria est nominis eius, eius clementiam & præcepta imitari, non hominem occidere. Fidei & Ecclesię conservatio est, Christum per fidem sub cruce sequi, & veritatem non ferro,

sed

ſed armis a Paulo præſcriptis tueri. Tolle eis ferrum; Non magis ſtabunt, quam vitis ſine ſtamine.

Tigurini. 154.

Veſtrę amplitudini dediti Paſtores & Lectores miniſtri Eccleſiæ Tigurinæ.

Vaticanus.

Si hæc Tigurinorum epiſtola nihil ab alijs diverſum continet, (quemadmodum ſcripſit Calvinus) intelligendum eſt, etiam aliarum Eccleſiarum Paſtores & Miniſtros eadem & ſcripſiſſe & conſuluiſſe: Atque hanc opinionem tacite relinquit in animis Lectorum, ſed id ita aſtute facit, vt tamen negare poſſit, ſi accuſetur. Propterea quod dicunt Paſtores & Lectores, intelligendum videtur de omnibus, cum dixerit Calvinus, uno omnes conſenſu ſcripſiſſe. Sic igitur cogitemus, omnium illarum eccleſiarum Paſtores & Lectores eadem ſcripſiſſe, quę Tigurini. Atqui hanc illorum concordiam admiremur, qui in hominis necem concorditer conſpiraverint, cum ſint in alijs tam Diſcordes.

Cætera quę deinde contra Servetum diſputat Calvinus omitto, quando Serveti libros non habeo. Nam de ejus Doctrina ex accuſatoris Libris non melius judicari poteſt, quam de Evangelijs ex ſcriptis Iudeorum. Facile eſt enim inimico cuiuſvis libri locos torquere & in invidiam trahere. Vulgatum eſt illud: Audi alteram partem. Itaque de Serveti doctrina judicium ſuſpendim⁹, donec ejus libri prodeant, ſi quando forte prodituri ſunt. Et enim ij ſumus, qui nec errores ejus defendere, nec aliorum in eum accuſationibus temere credere velimus.

Cæterum ut tandem absolvam, non ego in hoc scripto id ago, ut bonis pastoribus authoritatem detraham, quin ipsemet & bonos pastores in tanto pretio habeo, ut si quis eijs non obediat, eum salvum fieri non posse putem. Bonos Pastores voco eos, qui Christum Pastorem summum imitantur, quibus Christus ipse, dum eos mittit, ita dicit: Qui vos audit, me audit.

Luc. 10. ij animā suam ponunt pro Ovibus suis, & toti in eo sunt, ut servent, non ut perdant, ijs obediendum esse dico, sicut ipsimet Christo. Sed malis Pastoribus & sanguinarijs qui oves non pascunt, sed ovium carne se ipsos pascēt, & sanguinem sitiunt, ijs inquam, saltem in sanguine fundendo obediendum esse nego. Precor Dominum messis, ut mittat operarios in vineam suam, Amen.

FINIS.

Cum



CVm Michael Servetus curaret libros suos de Trinitate imprimi Viennæ, fuit quidam Lugdunensis Geneuę habitans, qui literas scripsit ad quendam Lugdunensem amicum suum Lugduni habitantem, in quibus literis inter cętera scribebat talia.

Nos non fovemus Hæreticos cum vos patiamini apud vos Michaelem Servetũ hominem maxime Hæreticum, qui facit imprimi libros plenos errorum, & is est nunc Viennę in tali domo, &c. Has literas qui viderunt putant scriptas fuisse a Calvino, ob stylum similem; Nec tantam Lugdunensis illius eloquentiam, ut potuerit tam diserte scribere. Ipse quidem Lugdunensis dixit a se fuisse factas; Fuerunt autem de industria ita missæ (sicut nobis narrarunt qui ipsi has literas viderunt) ut venirent in manus Magistratus, atque adeo ipsius Cardinalis Turony. Sunt qui dicunt Calvinum ipsum scripsisse ipsi Cardinali in hanc sententiam. Si tam religionis studiosus esses, quam te esse simulas, non patereris Servetũ qui est apud vos &c. utcunque se res habeat, ijs literis lectis Servet⁹ captus est, viennę, nec non impressor eius libri. Postea cum ex vinculis clam elapsus esset, venit Genevam, & eodem die videlicet Dominico, audivit concionem post prandium. Ibi cum ante in cæptam concionem sederet una cum alijs, agnitus est a quibusdam, qui id continuo Calvino nunciatum iverunt: Calvinus é vestigio ad Magistratum reum detulit, aut de ferendum, curavit, ut Servetum propter hęresim in vincula petant. Magistrat⁹ respondit non posse capi hominem

in libera Civitate, nisi aliquis esset accusator, qui una cum reo sese offerret ad vincula &c. Calvinus famulum suum submisit, qui se accusatorem daret Is famulus fuit aliquando coquus, nobilis cuiusdam nomine Falesij, quem Falesium Calvinus aliquando tanti fecit ob religionem, ut eum in quadam Epistola summopere laudaverit. Sed postea cum favere videbatur Falesius cuidam medico nomine Hyeronimo (qui in vinculis tenebatur propter causam prędestinationis, quoniam de re dissensisset) in publica congregatione a Calvino judicatus est hæreticus. Ab eodem Calvino mittitur ibi famulus, qui sese accusatorem dedit: & Servetus è concione vocatus, & nomen suum confessus, conjectus est in carcerem, nec non ipse famulus Calvini, qui paulo post datis fide jussoribus liberatus est. Servetus in vinculis sic habitus est, ut eum convenire nemo (nisi magna authoritate præditus) posset, nisi qui Calvini amicus esset. Capto Serveto missus est nuncius a Magistratu Viennam, qui referret sententiam ab ipsis Viennensibus contra Servetum latam, cui nuncio Viennenses eam dederunt, & illud adjecerunt; Servetum, judicio summi Gænevensium concionatoris venisse in manus Viennensium. Relata hęc Sententia missus est nuncius ad Helveticas Ecclesias, Barnam, Tigurum, Schaffhuysiam, & Basileam, una cum libro Serveti, & accusatione concionatorum, & literis Magistratus Gænevensis ad ministros illarum ecclęsiarum, aut ad Magistratus ad corrogandas earum super Serveto Sententias.

Interea missus est ad Francofordiam quidam Tho-

Thomas, famulus Roberti Stephani qui libros Serveti, qui illic ad nundinas prolati fuerunt combussit ne distraherentur. Nuncius ille a cõcionatoribus illarum Ecclesiarum retulit literas, in quibus damnabatur Servetus, tanquam Hæreticus. Itaque statim convocatus est Magistrat9 Genevensis super Serveti negotio. Amedeus Porrius militię Dux, & idem primus tum Consul vrbis, cum videret animos Senatorum inclinatos in necem hominis, noluit adesse in judicio , negavitque se participem fore eius sanguinis. Idem fecerunt quieam alij, reliqui alij aliter damnarunt, nonnulli ad exilium, alij ad perpetuos carceres, pars maior ad ignes nisi recantare vellet.

Cellarum etiam eius vrbis summum Professorem Theologiæ, affirmant nuncquam nec in Serveti, nec in vllius Hæretici mortem consensisse : Idemque putant de quibusdam eius vrbis Ministris inferioribus, qui ad dicendam de Serveto Sententiam, propterea non fuerunt vocati . Ita ductus est ad tribunal , & ibi damnatus ut combureretur, & in cineres redigeretur. Hanc Sententiam vbi audivit, postulat supplex a Magistratu ut liceret perire gladio, ne se ad desperationem magnitudine cruciatus adigerent, atque ita animam suam perderet: se si quid peccaverit peccasse ignorantia, animo quidem & voluntate ita constitutam fuisse, ut promovere gloriam *Dei* voluerit, quas eius preces Farellus Magistratui apertius exposuit. Sed Magistrat9 a Serveto exoratus non est, ita ductus est Servetus subinde clamans. *O Deus serva animam meam: O Iesu fili Dei æterni miserere mei.* Vt ventum

tum est ad supplicij locum procubuit supplicabundus, jacuitque aliquandiu pronus, Farello populum ita alloquente: Videtis quantas vires habeat Sathan, cum aliquem possidet, hic homo est doctus imprimis, & fortasse se recte facere putavit, sed nunc possidetur a Diabolo, quod idem vobis accidere posset. Interea vbi surrexit Servetus, eum hortabatur Farell' vt diceret aliquid. Ille gemens & suspirans clamabat: *O Deus, O Deus*: cum Farellus an nihil aliud haberet quod diceret, respondit, quid aliud possum loqui quã de *Deo*? Farello monente, ut si vxorem, aut liberos haberet, & testamentũ condere vellet, adesse tum notarium publicum, Ille nihil respondit, Ita ductus est ad struem lignorum, erant autem fasciculi querni virides, adhuc frondosi, admixtis lignis taleis. Impositus est Servetus trunco ad terram posito, pedibus ad terram pertingentibus. Capiti imposita est vel straminea vel frondea, & ea sulphure consperса: Corpus palo alligatum ferrea catena, collum autem fune crasso quatriplici aut quintriplici laxo, liber femori alligatus: Ipse carnificem oravit ne se diu torqueret. Interea carnifex ignem in ejus conspectum, & deinde in orbem admovit, homo viso igne ita horrendum exclamavit, vt vniversum populum perterrefecerit. Cum diu langueret, fuerunt ex populo qui fasciculos confertim conjecerunt, ipsa horrenda voce clamans: *Iesu fili Dei æterni miserere mei*: post dimidiæ circiter horæ cruciatum expiravit. Sunt qui affirmant Calvinum cum vidisset ad supplicium duci Servetum subrisisse, vultu sub sinu vestis leviter dejecto. Hæc res multos pios turbavit, atque scan-

ſcandalum ſcandolorum peperit,quod vix nunquam obliterare videretur, multa enim in eo facto pij reprehendunt crimina.

Primum quod interfectꝰ eſt Geneuę homo propter religionem,negant enim quenquam propter religionem debere interfici: & cum citatur vetus Teſtamentum de interficiendis falſis Prophetis,citant novum de non extirpandis zizanys ante meſſem. Quod ſi Helveticas Eccleſias conſenſiſſe in mortem Serveti dicit: Reſpondent eas non potuiſſe eſſe judices cum eſſent reæ. Nam eas,vna cum Genevenſi reprehendebat Servetꝰ. Deinde mirantur Calvinum cum eis Eccleſijs in alterius mortem conſpiraſſe,quarum doctrinam alias damnavit. Nam in Libello gallico de cœna damnat aperte Zwinglium, Oecolampadium, vna cum Luthero eoſque erraſſe dicit. Quod ſi in Cœna errarunt,poſſunt & in perſecutione errare. Alterum eſt quod Calvini opera interfectꝰ eſt, nam hic vt inimicū ſuum poſſet opprimere, ſubornavit accuſatorem ex culina ſua, hominem Serveti, & Servetanarum quæſtionum ignariſſimum,hoc vero tam longé a Chriſti natura abeſſe ajunt,quam abeſt a cœlo tellus,venit enim Chriſtus non vt perderet,ſed vt ſervaret. Tertium eſt quod tam crudeliter interfectus ſit, cum tamen ſupplex gladium petierit, Hęc crudelitas inaudita ſuſpicionem gignere poſſet,quaſi Genevenſes velint in gratiā redire cum Papa, & facto oſtendere,ſe ab ipſo non abhorrere,quamvis verbis in eum debachentur. Quartum quod ad interficiendum eum conſpirarunt Evangelici, cum Papiſtis, vnde fuit qui putant ſic inter eos coire amicitiam, quomodo inter Pilatum, & Herodem coijt, in

in Christi supplicio. Quintum est quod Serveti Libri cremati sint, id quod (sicut & cætera) videntur a Papa didicisse. Et quidem si vera est doctrina Calvini, de Predestinatione, & Electione, non fuit quod metuerunt ne quam seduceret Servetus, si idem electi, seduci non possunt. At si peccata fiunt necessaria, & cogente *Deo*, non poterat Servetus non facere, quod fecit, nec poterant Calviniani non decipi, si futurum, vt decipiantur, nec decipi, si futurum est vt non decipiantur· Sextum crimen est, quod mortuus, Servetus insuper publice in concionibus damnatus est, ad æternum supplicium, & ita damnatus, vt qui sententiam Farellum detonare audiverint, dicunt se toto corpore atque animo horruisse, Septimum crimen est, quod in eum jam extinctum, scribere videtur Calvinus, id quod simile videtur illius facti Iudæorum, qui mortuo Christo, petierunt a Pilato (Chirstũ impostorem appellantes) vt ejus corpus custodiretur: Sic Calvinum formidare ajunt, ne Serveti corpus, clam tollatur (id ne fieri possit Calvini diligentia prospectũ est) sed ne cineres loquantur. Alias, si volebat in eum scribere, debebat eo vivente scribere, vt ei respondendi esset potestas, quod etiam latroni permittitur.

Combustus est Servetus A°. 1553. die 27. Oct.

Cum principio Evangelium doceret Genevæ Gulielmus Farellus, & Petrus Viretus, supervenit ex Gallia Ioannes Calvinus, & a Farello ascitus, cœpit & ipse docere; Interea oritur dissidium inter concionatores, & cives, quod cives volebant sibi cœnã administrari pane non fermentato, ut in eo cum Bernensibus convenirent; Concionatores autem fermentato. Erant men-

tum in Vrbe duę factiones, quarum altera Duce Ioanne Philippo, concionatoribus adversabatur, altera favebat, Duce quodam Balthasare. Cum illa plus valeret, fit Senatus consultum, ut Concionatores urbe eijcerentur, nisi parerent. Ita ejecti alij alio, Calvinus Argentinam venit, & ibi Theologiam profiteri cœpit. Interea Iohannes Philippus propter homicidium securi feritur; Ita plus valente altera factione, mittuntur Argentinam nuncij, qui Calvinum revocent: ægro exoratus tandem Genevam redijt, omniumque primum curavit ut res innovaret. Primum formulam scripsit Baptismi, & Præcum, repudiata ea quæ ibi tum habebatur; Deinde *novum Catechismum* dedit. Postea instituta Genevensis Ecclesiæ scripsit, & ea a Senatu facienda curavit, itaque ita consistorium erexit. Concionatores quos ibi invenit, & duos Ludimagistros, singulatim, alios alijs de causis ejecit, excepto amico suo Vireto. Psalmorū cantationes in templis instituit, certisque dieb9 certos Psalmos canendos assignavit. Diem Mercurij dimidia ex parte festū fecit, ut ibi ante meridianam concionem tabernas aperire non liceat, sub poena pignorationis. Diem Natalis Christi fecit profestum, libellos aliquot scripsit, quibus in Galliam cæterasque terras dimissis, multos mortales Genevam pellexit, docens, eos sub Papa salva conscientia vivere non posse. Magistrat9 semper coluit, & potentissimorum quorum que amicitijs maxime studuit, his fretus adversarios domuit. Modo in jus vocando, modo pro suggestu, impunissime invehendo, Quosdā exilio, alios vinculis mulctavit, multos a se veniam suppliciter petere

 coegit.

coëgit. Denique eo processit, ut cum aliqui murmurassent in eum, nonnulli per Gervasianis (est autem Gervasium altera pars urbis) postridie erectum fuerit in medio foro patibulum, in pœnā si quis inutire auderet. Quisquis Calvino displicet, sciat sibi pereundum esse, nisi desint Calvino vires. Sed illud pessimum est, quod Calvinus mendacijs facile credit, nec nullum diluendis Locum det? Qui eum offendit is impius, is atheus, is Epicureus appellatur. Qui ab eo ulla in re dissidet, is Hæreticus est, & ita denigratur, ut si quis cum eo colloquatur Christianus non sit. Qui illuc confluunt, Galli imprimis docentur abhorrere ab Hæreticis, Hoc est inimicis Calvini: Cuiusmodi sunt Falesius, Hieronimus Medicus, Andreas Zebedeus, Marandus, Marcolfus, Castalio, Cælius, & cęteri: Cum his hominibus colloqui peccatū est mortale. Atque hęc omnia fiunt, sub Christi titulo. Cæterum est homo laboriosus, acuti ingenij, (nisi sæpe odio, aut amore sui cæcaretur) memoria tenaci strennu⁹, irrequiet⁹, qui Concionatoris, Senatoris, & lectoris, & Scriptoris, munera unus obeat; Et fere omnibus, omniū præsertim divitum, ac potentū, ac doctorum negotijs, & contractibus interfit, & omnia agit. Colitur maxime a nobilibus, & divitib⁹, & eos vicissim colit, & ita potentiā suam confirmat, adeo ut sit ipsis etiam Senatoribus formidabilis: cum pauperibus non multum ei est negoti, quū plerique ei sint ignoti. Hominē ita depingere volui, ut quoniā ipse sibi vendicat summā sacrarū literarum cognitionem, & hac re multos decipit: consideret homines, sit ne credibile, *Deum*

in

in huiusmodi animam infudisse arcana sua, cum ea soleat potius humilibus & paruis aperire, & celare mundi Sapientes.

Nescire multi hodie videntur *Chrstnm* Hebraicé, Gręcé, & Latiné fuisse crucifixū: an non videtis hodie quoque, eos solos, solos inquam eos, qui illarum trium Linguarū cultores sunt, Authores esse persecutionum?

Admonitio ad Lectorem

Cum sectione 22, & 31, Libelli hujus dictum, & demonstratū sit, compluribus in locis a Calvino ipso damnatam, ac rejectam consuetudinem gladio coercendi Hæreticos, & doctrinas hominum examini cujusuis subtrahendi, non abs re fore judicavi, si præter ea quæ illis locis a Castellione adducta sunt, nonnulla alia ex eiusdem Calvini Scriptis testimonia, hoc loco subjungerem: quo facilius æquus Lector perspiciat, non semel atque iterū, sed sæpe & constanter, vi veritatis adactum, ea improbasse, quę postea proprij commodi & honoris causa probare & propugnare studuit.

Adjecimus eadem opera theses quasdam Theologicas, desumtas ex disputatione quadam de Homicidio legittimo, ad explicationem Sexti pręcepti Legis, typis vulgatam, atque ad disputandum propositam Theologiæ Studiosis, &. S. ministery candidatis in Collegio Theologico, quod est Lugduni Batavorum Anno 1602: quę cum Breviariū quoddam sint, prolixæ Disputationis. The: Bezæ de puniendis a Magistratu hęriticis, satis luculenter ostędunt, quam satagant quidam, ista opinionum monstra in Ecclesias hasce invehere, cum eam Illust.

D.D.

D. D. Ordinum Hollandiæ alumnis, qui ad Ecclesiæ ministerium præparantur, in Gymnasijs publicis, non voce modo, sed editis etiam Thesibus instillare non dubitarint.

Denique mantisę veluti loco addidimus, Paucula ex annotationibus Seb: Castellionis in novum Testementum, ejusdemque in suam vtriusque Testamenti translationem, ad Regem Angliç prefationem: cum & illa huc facere viderentur. Tu benigne Lector, si quid nosti rectius istis, candidus imparti, si non, his vtere mecum.

Loca





Loca quædam ex ſcriptis Iohannis Calvini deſumpta.

I

Nos operam demus, & quantum poſſumus laboremus, vt vas aureum vel argenteum ſim⁹ Cæterum fictilia vaſa confringere, ſolius Domini eſt, cui & virga ferrea data eſt: Nec quiſquam ſibi quod proprium eſt ſoli filio, vendicet, vt ad aream ventilandam, & purgandam paleā ſufficiat, zizaniaque omnia humano judicio ſegreganda. Superba eſt iſta obſtinatio, & ſacrilega præſumptio quam ſibi furor pravus aſſumit. Inſtit: viij, ſect. 20. Idem Cijpr: Epiſt: Lib: iij. Ex. iij. pag: 77.

II

Iſtęc vero quam diximus, Eccleſiæ poteſtas ſi cū ea conferatur, qua ſe aliquot jam ſeculis, in populo Dei venditarunt ſpirituales tyranni, qui Epiſcopos ſe, & religionis Pręſules falſo vocarunt: nihilo melior erit conſenſus, quam Chriſto cum Belial.

Neque hic mihi propoſitum eſt exponere, qualiter & quam indignis modis ſuam tyrannidem exercuerint. Tantum referam Doctrinam, quam ſcriptis primum, deinde ferro & igni hodie tuentur. Inſtit: viij. ſect. 146.

III

Erit vicarius Chriſti, qui furioſis conatibus Evangelium perſequendo, Antichriſtum ſe palam profitetur.

Erit

Erit Petri successor, qui ad demoliendum, quicquid ædificavit Petrus, ferro & igni grassatur? Instit: viij. Sect. 129.

IIII.

Pellitur e medio sapientia dum vi res geritur. Calvinus, Prçfa: in Actis Aposto: Ad regem Daniæ.

V.

Negat enim id Episcopale esse, fidem & Ecclesiæ jus armis tueri. Instit: viij. Sect. 182.

VI.

Quos enim tanto muneri destinavit Dominus, eos prius ijs armis instruit, quç ad implendum requiruntur, ne inanes atque imparati veniant: Hæc sunt arma illa Spiritualia, potentia Deo ad munitionum demolitionem: Quibus consilia demoliantur fidi Dei milites, & omnem celsitudinem, quæ extollitur adversus cognitionem Dei, & captivam ducant omnem cognitionem ad obediendum Christo. En summam potestatē, qua Ecclesiæ pastores, quocunque demum nomine vocentur, prçditos esse convenit. Nempe ut verbo Dei confidenter omnia audeant: Eius majestati omnem mundi Virtutem, Gloriam, Sapientiam, Altitudinem cedere atque obedire cogant: Eius potentia fulti, omnibus a summo usque ad novissimum imperent; Christi domum ædificent, Sathanæ subvertant; Oves pascant, *Lupos interficiant*, dociles instituant & exhortentur, rebelles & pervicaces arguant, increpent, subigant: Ligent ac solvant: Fulgurent denique si opus est, ac fulminent: *Sed omnia in verbo Dei* &c. viij. Sect; 145.

2. Cor. 10. 4. 5.

Moriatur error: vivat homo. August.

VII.

VII.

Neque enim consentaneum est, ut qui monitionibus nostris obtemperare noluerint, eos ad Magistratum deferamus. Instit: viij. § 171.

VIII.

Quomiam pro confesso sumunt, vniversale consilium, esse veram Ecclesiæ imaginem: Hoc principio sumpto, simul absque dubio statuunt regi immediate a spiritu sancto ejusmodi concilia, ideoque errare non posse: cum itaque ipsi (spirituales tyranni) concilia regant imo constituant: revera sibi vendicant, quicquid contendunt debere concilijs. *Fidem igitur nostram suo arbitrio stare volunt*, ,, *& cadere:* vt quicquid ipsi vtramque in partem constituerint, firmum animis nostris ,, statumque sit, ut sive quid probaverint, ipsũ nobis nulla dubitatione probari: Sive quid damnaverint, id quoque pro damnato esse oporteat. Interim sua libidine, contemptoque verbo Dei, cudunt dogmata: quibus postea fidem hac ratione haberi postulant. Nec enim Christianum esse, nisi qui in omnia sua dogmata, tam affirmativa, quam negativa, certo consentiat: si non explicita fide, tamen implicita, quia penes Ecclesiam sit, *condere novos fidei articulos*. Instit. viij. 146. *Confess. Cathech.*

IX,

Sed hoc quoque ex adverso operę pretium est videre, quis fuerit olim verus vsus Ecclesiasticę Iurisdictionis, & quantus abusus obrepserit, ut sciamus, quid abrogandũ sit, & quid ex antiquitate restituendum, si volumus everso regno Antichristi, verũ Christi

ti regnum iterum erigere. Primum hic scopus est, ut scandalis obviã eatur, quod si quid scandali exortum sit aboleatur.

In usu duo sunt consideranda: Vt a jure gladij prorsus separetur hæc spiritualis potestas: Deinde ne unius arbitrio, sed per legittimum consessum administretur. Vtrunque in puriore Ecclesia observatũ fuit. Neque enim vel mulctis, vel carceribus, vel alijs civilibus pœnis potestatem suam exercuerunt sancti Episcopi, sed solo Domini verbo, ut decebat vsi sunt. Severissima enim Ecclesię vindicta, & quasi ultimũ fulmen, est excommunicatio, quę non, nisi in necessitate adhibetur. Illa porro nec vim, nec manum desiderat: Sed verbi Dei potẽtia contenta est. Instit: viij. §. 172.

1. Cor. 5.

X.

Quanquam inter Apostolos, & eorum successores, hoc, ut dixi, interest, quod ij fuerunt certi, & authentici spiritus sancti amanuenses: & ideo eorum scripta, pro Dei oraculis habenda sunt: Alij autem non aliud habent officij, nisi ut doceant, quod sacris scripturis proditum est ac consignatum.

Confessio Cathechismus.

Constituimus igitur, non esse jam fidelibus relictum, vt novum aliquod dogma excudant, sed simpliciter inhærendum esse doctrinæ, cui Dominus omnes sine exceptione subjecit. Hoc cum dico, non tantum ostendere volo, quid singulis hominibus liceat, sed quid etiam vniversę Ecclesiæ. Quantum ad singulos attinet: Paulus certe Corinthijs ordinatus erat a Domino Apostolus: fidei tamen eorũ se dominari negat. Quis jam dominiũ sibi arrogare audeat, quod sibi

2. Cor. 1. 23.

sibi non competere testatur Paulus? Quod si 1.Cor.14
hanc docendi licentiam agnovisset, ut quicquid 29.30.
tradiderit pastor, in eo certam sibi fidem haberi postulet: Nunquam hanc disciplinam tradidisset ijsdem Corinthijs, ut loquentibus Prophetis duobus, aut tribus, cæteri dijudicarent, quod si alicui sedenti revelatum esset, primus taceret. Sic enim nemini perpereit, cuius authoritatem, verbi Dei censuræ non subijceret. At de universa Ecclesia, dicet quispiam, alia ratio est: Respondeo: Paulum huic dubitationi alibi
occurrere, cum dicit fidem esse ex auditu: Au- Rom. 10.
ditum autem ex verbo Dei. Scilicet, si a solo Dei 17.
verbo pendet fides, si in illud solum respicit & recumbit, quis jam totius mundi verbo locus relinquitur? Neque hic hæsitare poterit, quicũque bene noverit quid sit fides, Eam enim firmitudine subnixam esse oportet, qua adversus Sathanam, & omnes inferorum machinas, totumque mundũ invicta & intrepida consistat. Hanc firmitudinem non nisi in vno Dei verbo reperiemus. Deinde vniversalis est ratio, quam hic respicere convenit: „Deum idcirco adimere hominibus, proferendi novi dogmatis facultatem, ut solus ipse nobis sit in spirituali doctrina magister: vt solus est verax, qui nec mentiri, nec fallere potest. Hæc ratio non minus ad totam ecclesiam quam ad vnumque fideliũ, pertinet.„
Instit: viij.§ 145.

XI.

Vnde sequitur omnes humanas doctrinas suã immunditiem redolere. Nihil enim purum, nisi quod a Deo profectum est: Calv. In Esai: Comm: 6.5.

XII.

Habent Moysẽ & Prophetas. Luc. 16.29. Etsi Lex & Prophetę non sufficerent, Deus alia adjumẽta

non denegaret. Hinc agnoſcimus, omnia quæ Dei verbo adduntur, damnanda, & reijcienda eſſe. Dominus enim nos omnino a verbo ſuo pendere, eoque contentos eſſe voluit. Si igitur alijs prębemus aures magnam ipſi injuriam facimus. Cal: Comt: in Eſai: viij. 20. Item Bęſa in Confeſſ: Chr: fidei. cap: 4. ſec: 6.

XIII.

Sed quoniam eſt nemo, qui non aliqua ignorantię nubecula obvolutus ſit: aut nullam relinquamus Eccleſiam oportet, aut hallucinationem condonemus in ijs rebus, quæ & inviolata religionis ſumma & citra ſalutis jacturã, ignorari poſſint &c. Interim ſi nitimur emendare quod diſplicet, facimus id ex officio noſtro. Et huc pertinet illud Pauli: Si melius quid ſedenti revelatum fuerit, prior taceat. Vnde conſtat, ſingulis Eccleſię membris demandatum, publicæ ędificationis ſtudium, pro menſura gratię ſuæ: modo decenter & ſecundũ ordinem. &c, Inſt: viij. ſect. 13.

XIIII.

Le regne de Sathan ne peut conſiſter, ou vn chacun a Franchiſe & liberté, de mettre en avant ſon opinion, touchant le faict de la religion. Acontius. lib. vj. fol: 215. L'empeſchement de ceſte liberté eſt ſatanique. Idem. Lib: vj. fol. 216.

XV.

Donques ce chois eſt preſenté aux paſteurs, ſ'ils aiment mieux, par la liberté, ſouffrir toutes ces difficultés, & que la vraye cognoiſſance demeure en l'egliſe: ou de viure en repos, & ouvrir la feneſtre a ignorance. Idẽ. Lib. vj fo: 223.

Ex disputatione de homicidio legittimo tijpis vulgata, atque ad disputandum proposita in Collegio Theologico, Illustr: D. D. Ordinum Hollandię, & Westphrisię, Anno M.D.C.II.

Thesis. V.

DE Idololatris porro, Hęriticis, & Blasphemis in Deum, major hodie ventilatur quęstio: Sed tamen quia tam expressè Deus eos è medio tolli pręcepit, quicunque ex Populo Dei alienos coluerint Deos, vel populum ad falsos Deos seduxerint, vel nomen divinum blasphemè usurpaverint, omnino cum S. literis, quicquid humana contra strepat ratio, sentiendum judicamus.

VI.

Verum cautio hic diligens adhibenda erit: Non enim quilibet Idololatra, aut Hæriticus, aut Blasphemus in Deum, ejusque cultum, ultimo supplicio a Magistratu puniendus est, vt Leges docent, ratio & vsus persuadent. Nam qui his vitijs est inquinatus, is aut occulte & clam, aut manifiste & palam peccavit. Qui occultè & privatim, is minimè Magistratui pœnas tenetur dare, quoniam de his cognitio pertinet, non ad Forum (vt loquuntur) humanum, sed ad celestis tribunalis Pręsidem, qui solus occultorum cognitor, eoque & solus Iudex est. Qui manifesté veró & publicé, is continuo etiam non plectendus morte, sed vivus (ex arbitrio tamen Magistratus, pro rei circumstantia castigatus) dimit-

tendus: Nempe ſi non, 1°. data opera ſponte, ſcienſque peccaverit. 2° de hoc crimine antea fuerit accuſatus 3°. monitus, obſtinatè ſcelus ſceleri cumulans, in vijs impijs perrexerit ambulare. 4°. Eccleſię pacem turbare fuerit conatus 5°. Alios ad idem factum ſollicitaverit.

VII.

Quo autem melius conſtet, quiſnam morte dignus Idololatra. Hæreticus, Blaſphemus ſit judicandus, ſingulorum definitionem proponem': deinde qui tales reperiuntur, quales deſcriptio exigit, eos occidendos eſſe, rationibus ex jure divino, humanoque ex ſaniorum hominum teſtimonio petitis probabimus.

VIII.

Capitali ſupplicio dignus *Idololatra* eſt, qui palam, data opera, neglectis admonitionibus, obſtinate vt turbet Eccleſiam, & alios ſeducat, vice vnius veri Dei, fictum aliquem habuerit, aut pręter vnum illum, creaturam aliquam, ipſi quaſi ſocium adjungens coluerit, aut denique verum quidem Deum ſolum, ſed non legittimo in ſacris literis præſcripto modo, honoraverit. *Hæreticus* eſt, qui ab Eccleſia, cuius ſe membrū externa profeſſione antea declavarit, ſeipſe ſeparans, errorem fundamentis fidei, & Propheticæ Apoſtolicęque doctrinæ in ſcripturis traditæ adverſantem tuetur, de quo tamen ſæpe, & rite admonitus convictuſque ex verbo Dei, tam publice quam privatim contemtis admonitionibus non vult deſiſtere, nec veritatem in ſcriptis Apoſtolorum & Prophetarum revelatā agnoſcere: ſed potius invicta & pertinaci impietate ei reſiſtens, Eccleſiæ pacem & concordi-

am

am lacerare contendit, suæque perfidiæ ludum
publicę & privatim aperiens, pestiferi dogmatis factionem, & gangrænam scriptis concionibusque suis, quantum in se est, vel in ecclæsiam Dei invehere, vel ab alijs invectam fovere.
Blasphemus est qui publicè deliberato animo, ,,
neglectis admonitionibus præfracte, vel maledica lingua, contumeliose de Deo vero, indignum quippiam effutit, tum tribuendo ei, quod ipsi non competit, tum adimendo quod ei propriũ est; tum transferendo in creaturam, quod est Dei solius; vel facto impio, cultum divinum verũ impedit, conculcat, aut impedire, & conculcare conatur.

X.

Quicunque igitur alicuis horum criminum, eo
quo diximus modo, reus fuerit deprehensus, eũ
a Magistratibus morte puniendum esse, his rationibus nixi demonstramus. 1. Quia vox Dei imperavit, quicunque sacrificat Dijs, præterquã Domino soli exscindetur [1]. alibi. Propheta qui præsumserit loqui verbũ in nomine meo, quod ut loqueretur ego non pręcepi, aut qui loquitur in nomine alienorum Deorum, morietur talis Propheta. [2]. Rursum, qui maledixerit Deo suo, feret peccatum suum, qui blasphemanerit nomẽ Domini morte mulctetur, omnino lapidib⁹ obruet eum universus cætus, sive indigena fuerit sive incola. [3]. Quia isti qui illos occiderunt in S. Scriptura à Deo laudantur. Exemplo sunt Moses. [4]. Asa. [5]. Iosias. [6]. Iospahat. [7]. Ezechias. [8]. Quin & cum Magistratus officium non faceret, in delendis falsis Prophetis, Deus Heroas suo spiritu excitavit, qui officio Princi-

[1] *Exod. 22.20. Deut. 17 3.*
[2] *Deut. 18.20. 13.5*
[3] *Levi. 24.14. Mat. 26. 65.*
[4] *Levit 32.27.*
[5] *2.Par. 14.15.*
[6] *2.Reg 23.20.*
[7] *2.Par. 17.17.*
[8] *2.Reg. 18.3.*

[9] 2. Reg. 10. 25. pũ in oppugnandis ijs fungerentur, ut in Historia Iehu[9] & Eliæ[10] legere est. III. Et ne quis
[10] 1. Reg. 18. 40. calumnietur moris id tantum fuisse in populo Israelitico sub lege, sed a viris pys post adventum Christi non factitatum, is diligenter Pauli diabolo tradentis Hijmenæum, & Alexandrum[11] & excęcantis Elymam Magum[12] & Petri occidentis Ananiam & Saphyram[13] factum perpendat. Quod si Petrus tales morte, Paulus ex cęcatione & traditione Sathanæ juste puniverit (quod omnes pij sentiunt, & jure credunt) cum tamen ipsis gladius non esset traditus: quid de Magistratu dicem⁹, qui gladium a Deo ad id accepit, ut exorbitantes à lege Dei castiget, si aperte factiosos, Ecclesiæ conturbatores, desperatos Apostatos, & publice a Deo ad cerebri sui figmenta multos seducentes, non puniverit? Etenim quamvis sua pœna delere non possit animi opinionem, neutiquam tamen ferre debet pestilentem, & impiam professionem.

[11] 1. Tim 1. 20.

[12] Act. 13. 8.

[13] Act. 5.

X.

IV. His adde primitivę Ecclesiæ Principes pios: Constantinus non tantum Arrianos, & Idololatras interfici voluit, sed eorundem etiam libros cremari, & præfectos qui id façere neglexissent capite plecti:[1] Idem jusserunt Theodosius, Valentinianus, Gratianus, Martinianus, Honorius, Iustinianus Imperatores[2]. V. Quin quod & illi quoque, qui neque verum Deum cognoverunt, neque de legittimo ipsum colendi modo, quidpiam inaudiverunt, solummodo instinctu naturæ eos occidendos judicaverunt, qui in publice recepta religione, quidquam im, muta-

[1] Niceph Eccles. hist. lib. 8. cap. 18 & 25.

[2] 1. L. 1. 3. & 4. 5.

mutarunt: Testis est nobis mors Theodori Athei, protagoræ Abderitis, & magni Socratis, quem cum Melites accusaret *Asebeias*, his literis actionem concepit *Adikai Sokrates, Hous he polis nomizeiTheoushou nomizon, hetera de demonia kena eisegoumeuos.*[3] Athenienses quoque ut judicarent quantopere ad fidei salutem pertineret si Deorũ derisores tollerentur: Sanxiverunt ut ei etiam qui cunque aliquem *Asebeias* accusasset, nisi reum peregisset, capitale hoc foret.4.

3 1.Laer. in vita Socrat.

4.Pollux Lib:8.

XI.

VI. Accedit denique ratio, quæ dictat crimen pro dignitate objecti gravius leviusve esse: Ideoque cum Idololatra, Hæreticus, Blasphemus, quales descripsimus, primario peccant in Deum, objectum præstantissimum: deinde in Ecclesiam cuius pacem turbant, & ipsorum crimen publicum sit, in omnium injuriam factum ut leges adserunt [2] tum propter objecti dignitatem tum propter gravitatem criminis, minime ipsis parcendũ esse ratio persuadet ut temporalis saltem pœna corripiat, quem Spiritualis non correxit disciplina [3]: ne ex neglectu tales puniendi, homines alij qui a natura ad malum sunt proni, eiusdem delictis & impys actibus assuefiant. Nam ubi maior est venia, illis maior pullulat delictorum Copia.

1.ff.45.4 19. Lib: 19.§ persona.

2.C.L.1. t.5. Lib. Manichæos.

3. Dest: Greg. lib 5.4.7. Ca.3.10.



1.Arg. 226.

Ex annotationibus in secundam ad Corinth. Cap. 10.

Arma Christianorum.

Arma enim militię nostræ non carnalia sunt, sed divini potentia. Pauli militia erat oppugnare & deturbare cogitationes hominum: hoc est, tanta virtute loqui & docere, ut hominum animi rei veritate victi, cogerentur ita cogitare: Vera dicit, & quę refelli nequeunt. Ad eam spiritualem pugnam utebatur telis non carnalibus, sed spiritualibus: ut enim insanus sit, si quis gladium aut missile velit vincere cogitatione, sic insanus sit si quis cogitationem velit vincere gladio. Atqui Christiani præconis virtus posita est in vincenda cogitatione, ex quo consequitur, eum non posse uti nisi ijs telis, quibus vinci possint cogitationes hominum. Exemplum habemus in Nerone: Is Græciã peragrans, edebat obibatque ipsemet certamina musicæ: si alios musicos vincebat, coronabatur: hoc erat legittimum certamen: sin ab eis vincebatur, curabat ut interficerentur: hoc vero non erat musicum vincere, sed hominem occidere: Qua inepta iniquitate illud consequebatur, vt hominum ficta voce, tanquam victor in præsentia laudaretur: & cæteri Musici deinceps data opera male canerent, ne eum offenderent, cogitationes quidem hominũ (quam-

(quamvis princeps esset omnium potentissimus) non vincebat, quin eum pro insano & illi tunc haberent, & nos nunc habeam⁹. At cæteri musici, qui eum artis peritia superabant, vincebant non solum aliorum, sed etiam ipsius Neronis cogitationem, ut ita eius animus, quamvis invitus, loqueretur: hij melius canunt quam ego. Similiter accidit & in Religione. Disputatur de multis rebus: si quem verbis vincimus, coronamur: & hoc est legittimũ certamen: Si quis a nobis vinci non potest, hæreticus appellatur & interficitur: Hoc vero non est hæreticum vincere, sed Hominem occidere: qua inepta iniquitate illud consequimur, ut in præsentia ficta hominum voce victores pronunciemur, & cæteri deinceps minus benedicant quam possent, ne pereant. Cogitationes quidem Hominum (quamvis potentes simus) non vincimus, quin nos pro insanis, & nunc qui cœci non sunt, habeant, & postea habituri sint, atque ita de nobis judicatur, ut nos nunc de Nerone & cæteris Christianorum persecutoribus judicamus. Nihil enim tam tectum est, quod non sit detegendum. Promisit Deus obedientibus virtutem tantam, ut vnus centum, & centum decem milia fugare possint. Sic pugnavit Paulus qui vnus poterat divinis illis suis armis deturbare non centum, sed omnium hominum cogitationes.

At nunc centeni singulos interficimus, & Christum carnalibus armis defendimus, ut intelligatur nos armis carere spiritualibus, & rursum Redemptorem Chistum habere carnalem

lem. Si enim Apostoli, qui nobis ecclesiam plantaverunt, contenti fuerint armis spiritualibus, apparet eos, qui carnalia adhibēt, non satis confidere spiritualib⁹: Quibus tamen confiderent, si ea haberent quippe quę sunt ōnipotentia ut apparebit in adventu Domini, qui Antichristū, id est Christi hostem summum non alijs armis debellabit, quam spiritu oris sui. Scriptum est: Tabernaculum factum esse ex populi donis ultro oblatis, nemine coacto. Quod idem de ecclesia intelligendum est, ut patet in Psal: 110. In quo dicuntur Christi copiæ esse voluntariæ. Itemque in lege, in qua jubetur, vt timidi discedant, ne in acie cęterorum animos emolliant.

Exo. 35.

Sic est gerendum bellum Christi militibus voluntarijs, sed solo Dei verbo coactis: aliter qui militant, alij quam Christo militant. Itaque ostendit eventus moresque nostri, quis sit fructus coactę militię.

FINIS.



Ex annotationibus in primam Episto: ad Timoth. cap. I.

MEndacibus, perjurijs, & si quid aliud sanæ Doctrinæ contrarium est. Hic animadverte lector, quid sit sana doctrina: Ea est videlicet, quę animi morbos, hoc est, vitia sanat, vt si quẽ videas ex mendaci, veracem, ex contumaci obedientiem, ex libidinoso castũ esse redditum, non debeas dubitare, quin quæ Doctrina eos morbos sanaverit, ea sana sit: Nam insana sanare animos non potest, non magis quam insana medicina corpus. Rursum quæ Doctrina animos eorum, a quibus admittitur, non sanat, sed aut tales relinquit, quales invenit, aut etiam superbiores reddit & dissolutiores, ea quin insana sit, nemo sanus negabit.

Sana Doctrina Argu. 12 9.

Ex Libro defensionis Sebast. Castellionis contra Theodorum Bezam.

Tit: 3, Super Hæretici vocabulo hæc verba scribit: Quidam, cui dicitur Hęreticus qui cunque pertinax est, *Heretikon*, pertinacem convertit; Quem locum ego jam sic correxeram, Sectarium hominem; Et in margine hæc verba adscripseram: Vitiosę sectæ addictum. Ipse autem quem vocet Hæreticum, peti jubet ex Act. 5.17. Vbi Hæreticum definit his verbis; Hæretic⁹ is dicitur, qui à recepta Ecclesiæ doctrina ita aberrat, ut contempto Dei & ipsius ecclesiæ judicio in sententia permaneat & Disci-

pulis

pulis ascitis, ecclesiæ concordiam violet.

Hanc ego definitionem quo minus approbare possim, multę causę sunt. Primo, quia cōposita est, cū sit rei simplicis: Complectitur enim primo dissidentem, deinde contumacem, tertio pertinacem, quarto magistrum, quinto factiosum. Ad quas quinque res definiendas totidem adhiberi oporteret definitiones. Deinde quod dicit: a recepta doctrina, rectius (meo judicio) diceret: a sana doctrina.

Quid enim si ipsa ecclesia hæresim reciperet (id quod & Christi tempore fecerat ecclesia Iudæorum, & vtinam postea, nunquam fecisset ecclesia Christianorum) an discordare nefas erit? Tertio, quia tantū magistros constituit hæreticos; Discipulos excludit: Dicit enim: Discipulis ascitis. Quid igitur ipsi discipuli? an non erunt hæretici? Solus ergo Nicolaus erit Hæreticus? Nicolaitæ non item? Iam pertinaciam cur adjungit definitioni suæ, quā in mea prima translatione non immerito repudiat? Potest enim aliquis hæreticus esse, & tamen non pertinax: sicut Paulus ante cognitum Christum hęreticus erat, videlicet Pharisæus, & tamen non permāsit in errore. Possem plura ejus definitionis vitia commemorare: sed ea ex ijs quæ dixi facile est perspicere: quæ quidem gravem ob causam adduxi.

Nam etiam a simili hæretici definitione deduxit disputationem suam in Libello, quem conscripsit, de hęreticis a civili Magistratu puniendis: Ex quo facile est conijcere quam veram

ram esse credendum sit de tanta re eius sententiam, quæ a tam falsa definitione proficiscatur. Ite nunc Principes, & sanguinem secundum ejus Doctrinam fundere properate.

Hæretici definitio vera.

Enimvero hereticus is proprie est, qui est ab aliqua heresi, hoc est, Secta: diciturque qua forma Academicus, Peripateticus, Platonicus. Sed quemadmodum valetudo pro mala valetudine: & in sacris litteris Gentes pro profanis gentibus (vnde Ethnici nomen ortum est) dicuntur: Ita & hæresis a Paulo pro vitiosa secta ponitur: Vnde hæretici nomen deduxit, quo eum indicavit, qui vitiosam sectam sequitur, sive is sit pertinax, sive non sit: sive admonitus. sive is sit pertinax sive non sit sive admonitus, sive secus: sive Discipulos ascivit, sive est ipsemet discipulus. *Hæretici definitio vera.*

Quod autem hæreticum vitari jubet Paulus, non ob hæresim jubet, sed ob pertinaciam in hæresi: id quod jndicat cum dicit: Post vnam aut alteram admonitionem.

Atque hanc ob causam ego principio hereticum transtuleram, pertinacem, magis in Pauli de partinaci hæretico Sententiam intentus, quam in vim vocabuli, quam discussi postea diligentius.

Iubet igitur Apostol⁹ Paulus, hereticum non evitari, præsertim Tito, hoc est, magistro: sed adnioneri potius ac doceri. Quod si postea pertinacem deprehenderit, evitet: sicut & ebriosum, Blasphemum aliosque flagitiosos

ſos evitare debet, ſi admonitionibus non obtemperent. Illud addam quod Paulus Hæreticum illum pertinacem vocat *Aftokatakriton*, hoc eſt, a ſe ipſo damnatum, non ſic (meo quidem judicio) accipiendum eſſe, quaſi ille ſciens volenſque ſeipſum damnet, contraque conſcientiam peccet, vt docent quidam, qui hęreticos malitioſe ad prę fracte peccare dicũt, quamvis id negent, ad mortem vſque pertinaces. Si enim ad mortem vſque negant, quis id vobis poſt mortem ipſorum teſtari potuit? Num in ipſorum corda (quod ſolius Dei eſt) penetraſtis? Sed ſimilis mihi videtur hęc locutio illi: Eo ipſo quo alterum damnas, teipſum condemnas, hoc eſt, condemnatione dignum eſſe oſtendis. Neque enim ſcientes volenteſque ſeipſos condemnant, qui alios damnant.

Aftekatakritos quid ſit.

Rom. 2.

Rom. 14.

Item illud: fœlix qui ſeipſum non damnat, in eo quod probat, hoc eſt, qui in eo, cujus cognitionem habet, quodque approbat, ita ſe gerit, vt nihil committat, quamobrem ſit damnandus. Sed illud longe apertiſſimum: Quia divinam doctrinam reijcitis, neque vos ſempiterna vita dignos judicatis, ſcitote nos ad gentes converti. Neque enim profecto indignos ſe ſcienter judicabant Iudæi ſempiterna vita; Sed ita ſe gerebant, vt ſe ea indignos inpræſtarent. Sic hoc loco Hæreticum illum pertinacem a Paulo *Aftokatakriton*, ideo dici arbitror, quia ea faciat quibus ſeipſum damnatione dignum prębeat. Nam profecto errori ſæpe credunt hæretici, deo illis (quia veritatis amorẽ non admiſerint) tantam vim erroris mittente, vt credant (inquit) (animadvertatur hoc verbũ) mendacio.

Act. 13.

2. Teſ. 2.

De

De filijs carnis & filijs Spiritus.

Qemadmodum tunc is qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum qui natus erat secundum spiritum: Ita & nunc. Sed quid dicit Scriptura? Eijce Ancillam & Filium eius: Non enim hæres erit filius Ancillæ: cum filio Liberæ. Gallat. 4.

Perpende hæc verba Pauli Lector. Ismael natus secundum carnem, persequebatur Isaacum natum secundum spiritum. Ita & nunc carnales persequuntur spirituales. Nec aliter fieri potest. Vt enim Isaacus, quia junior, & ideo infirmior erat, Ismaëlem persequi non poterat: ita nunc Christiani, quia post Antichristianos nati & imbecilliores sunt, non possunt, Antichristianos persequi: atque hoc ipsum multis alijs exemplis significatum est; Nam neque Abel Cainum, neque Noa Gigantes, neque Lothus Sodomitas, neque David Saulem, neque Prophetæ falsos prophetas, neque Christus aut Apostoli Scribas & Pharisæos persequuti sunt, sed contra. Quod si qui facere potuerunt, tamen non fecerunt vt David: quem cum Saulus tanquam pulicem aut tanquam perdicem per montes persequeretur, David nactus eum semel atque iterum pręsidio destitutum, potuit interficere, sed noluit. Sic hodie pij sunt tanque pulex quidam, quem persequuntur impij. Quod si quando accidit, ut impijs nocere possint, tantum abest vt noceant, vt etiam prosint, & eorum saluti studeant: Hoc enim a suo Davide didicerunt: sicut illi a Saulo patre suo

eis

eis nocere didicerunt, a quibus beneficia acceperunt. Habes hic signa notasque pioru ac impiorum. Impij sunt nobiles, Divites, literati, potentes, derisores, persecutores, crudeles, superbi, celebres & ambitiosi; Sicut Cain, Gygãtes, Sodomitæ, Saulus, Magi Ægyptij, falsi prophetæ, Scribæ, Phariseæi, herodes, Pilatus, Annas, Cayphas, Philosophi. Pij sunt ignobiles, pauperes, imperiti, debiles, derisi, vexati, pacifici, mites, humiles, summissi, obscuri, viles, contempti, infames, quisquiliæ & ramenta mundi, honorisque sui contemptores, & honoris Dei studiosi, qui bonum pro malo reddunt, convitijs appetiti benedicunt; denique agnum Christum per omnes cruces & virtutes sequuntur. Nnnc propone tibi, Christiane Lector, talem popellum ob oculos, & cogita, an fieri possit, vt huiusmodi popellus toto orbe, dispersus, impios, hoc est Gygantes & mundi Dominos inter sese conspirantes, persequatur. Quod si fieri non potest (vt certe non potest) noli dubitare, quin qui alios propter fidem persequuntur, sunt Ismaëlitæ, quoniam Ismaëlis naturam imitantur. Sed quid dicit Scriptura? Eijce ancillam & ejus filium; Non enim hæres erit filius ancillę cum filio Liberę. Quid est ancilla? Est Lex interprete ipso Paulo. Ancillæ filij sunt, qui sub Lege, hoc est, sub Litera esse volunt; & ideo eos, qui sub spiritum volunt vivere, persequuntur, sicut Ismael Isaacum. Itaque vt intelligatur eos esse veros Ismaëlitas, citant Legis literam, quę jubet interfici falsos Prophetas; Falsos autem prophetas interpretantur Hæreticos; Hæreticos autem interpretantur eos, qui ab ipsis dissentiunt

unt; In quo filij ſunt eorum qui dicebant; Nos Legem habemus, & ſecundum Legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit. Vides ut filij Legis perſequuntur filios ſpiritus, & ad eam rem Legem citant. Sed quid faciat Sara, hoc eſt Libera, & ſpiritualis Eccleſia? Non eijcit ipſa filium ancillæ, hoc eſt, Literę ſervos; Nec Iſaacus item eijcit Iſmaelem, non enim poteſt, hoc eſt, pij non eijciunt impios: non enim poſſunt: ſed rogat Sara virum ſuū, hoc eſt, Eccleſia Deum, ut eijciat perſecutricem illam Legem ſive literam, & eius filios perſecutores, ne ſint hęredes regni cœleſtis. Itaque Eccleſiæ non eſt, eijcere impios ab hęreditate cœleſti: ſed id competit marito Chriſto, qui eos eijciet virga oris ſui, cum dicet: Ite maledicti in ignem æternū Hanc ſententiam pronunciare non eſt Sarę, nec Iſaaci, ſed Chriſti. Proinde videant quid agant qui hæreticos damnant: non enim ſic damnari ſolent hæretici, vt Latrones: Nam de latronib⁹ ſæpe bene ſperant etiam ij qui eos ſuſpendunt & pro eis Deum orant, nec eos ad Gehennam damnatos putant. Sed qui hæreticos ſupplicio afficiunt, judicant eos a Deo prorſus eſſe rejectos & æternis ignibus addictos: Quod dum judicant, ſedent plane in tribunali Chriſti, & ſententiam illam pronunciant: Ite maledicti in ignem æternum: Quæ neque ab alio quam Chriſto, neque ante diem Iudicij pronunciari poteſt. Nam ideo Iudicij dies appellatur, quod tum, non ante judicari poterit, qui ſint electi aut reprobi: Quemadmodum docuit Paulus, cum dixit: Nolite ante tempus quicquam judicare, donec veniat Dominus, qui illuſtraturus

est occulta tenebrarum, & patefaciet consilia cordium. Quæ verba dum mecum perpendo, nihil habeo quod addam, nisi ut dum agitur de aliquo damnando tanquam hæretico, hoc est, sempiternis pœnis addicto, & a Deo in sempiternum rejecto (tales enim putantur hæretici) admoneam omnes ut septies considerent, quid agant; Et hic eandem sententiam majoribus Literis (ut cursim legi possit) iterum adscribam.

Nolite ante tempus quicquam judicare, donec veniat Dominus, qui illustraturus est occulta tenebrarum, & patefaciet consilia cordium. 1. Cor. 4.



Ex

Ex epistola Castalionis ad Nicolaum blasdikensem.

QVod istic sic passim sævitur in Anabaptistas doleo, & persecutoribus sanam mentem opto, non quod erroribus faveam Anabaptistarum, sed quod & ipsi persecutores & erroribus nõ minus, credo, gravibus, & sceleribus laborant gravissimis. Et si neutrum esset, & cætera abessent, vel hic error, & hoc scelus esset quovis Anabaptistarum errore gravius, quod homines ob religionem interficiunt, & putent interficiendos. Nam omnino hic persecutionis spiritus alienus est a Christi spiritu, & qui eo impelluntur, cujus sint spiritus nesciũt. Et tu, frater, cave, per Deum, te quæso, cave, ne tu vel imprudens illa te persecutionis societate contamines. Non ego de sententia tua loquor, quam ab istis persecutionibus abhorrere mihi persuasum est, sed de eventu, qui vel invito consequitur tuas cum Anabaptistas disputationes. Audivi enim eos a te, in gratiam principis, advocato, refelli. Deinde cum refutati, tamen in sententia perstiterint, puniri. Si ita est, mallem te in ipsis Principum erroribus & peccatis castigandis & refellendis occupari, quibus eos scatere tu non ignoras, ijsque hoc primum omnium persuadeas, non esse homines ob religionem interficiendos. Ita demum liceret nullo Anabaptistarum, non dicam enim Principum, periculo disputare. Nũc dum, principibus illo errore infectis, refellis Anabaptistas, idque ab ipsis Principibus advocatus, fit vt

quos volens refellis, ijsdem nolens noceas, neque ipsis Principibus quicquam prosis. Neque enim redduntur tua profecto de alicuius erroris disputatione meliores, sed duntaxat in suo injusto facto ne quid dicam asperius) confirmatiores. Sanctius esset, Deoque accepti*, tuo periculo Principib* refellendis operā dare, quam e tuo disputantem miserorum miseriam augeret Neque vero errores refellendos esse nego, sed sic esse refellendos non judico: hęc a me benevole amiceque dici tu non dubitas. Movet me & illorum miseria, & tuum periculū. Scis quid sæpe, me audiente, dixeris, *Ne nos inducas in tentationem*. Callidus est Sathan & paulatim trahit quoscunque potest in societatem sanguinis, a qua nos ita procul abesse debemus, vt a veste abhorreamus sanguine polluta. Denique vt officij nostri quid sit sciamus, sic cogitem*; Quid faceret Iesus si esset hic, & statim responsum in animis nostris audiemus. De Gallia nil nisi meros furores audivimus. Rotomagum captū esse fama est, & vtrinque cecidisse plurimos, & expugnata vrbe ita esse sęvitum in oppidanos, vt matres, quo hostium man⁹ evitarent, seque suosque natos in flumen demergerent. Denique tota Gallia nihil meserius cogitari potest. Væ autoribus, væ sanguinarijs & Principum instigatoribus. Hij sunt fructus Doctrinæ de persequendis hæreticis. Amarunt saguinem, & sanguinē (ô justę Iudex cœlestis) eis dedisti. Sed finem faciam: Nam nihil proficio, tantum Iustissimū meum dolorem in fidelissimi optimique amici sinum effundo. Vale.

Seb.

Sebaſtianus Caſtalio Eduardo Sexto Angliæ Regi clariſſ: Salutem.

Cum ſacrarum literarum libros, a me in Latinum ſermonẽ converſos, in lucem emitterem, ſereniſſime Rex angliæ, ſuaſerunt amici, vt eos tuæ Majeſtati dedicarem: Idque vt facere vellem, tribus rationib⁹ perſuaſerunt. Primum quod dicerent, nulli convenientius ſacras literas offerri poſſe, quam ei, cujus regnum aſijlum eſſet eis, qui propter ſacrarum literarum ſtudium atque defenſionem vexarentur. Deinde, quod tu nuper hanc eandem transferendi libros ſacros provinciam, hominib⁹ doctis mandaviſſes, ſed vnius obitu impeditus fuiſſes. Poſtremo, quod præter cæteras diſciplinas, atque linguas, etiam Latinitatis, vel inprimis (cujus nos hic nonnullam rationem habuimus) ſtudioſus eſſes, & ad eam rem magiſtrum eruditum haberes. His cauſis adductus ſum, vt tibi, Regi illuſtriſſimo, ego infimę conditionis homo, vigilias meas offerre auderem: ſperans fore, vt quanto in altiore dignitatis faſtigio, te Dei benignitas collocaſſet, tanto clementius tenues admitteres, amore CHRISTI, qui cum Deo foret ęqualis, nõ dubitavit ad infimos ſe demittere. Quod ſi placet, & ſi hanc tranſlationem, Rex, legere nõ recuſas, exponam tibi jam, quod fuerit in hoc negotio meum inſtitutum. Ego operam dedi, vt fidelis, & latina, & perſpicua eſſet hæc tranſlatio, quoad ejus fieri poſſet: Ne quem deinceps orationis obſcuritas, aut horri-

ditas, aut etiam interpretationis infidelitas, ab horum librorũ lectione revocaret, Sed perspicuitatis & fidelitatis potissimam rationẽ duximus. Nam quod ad latinitatem attinet, est oratio nihil aliud quam rei quędam quasi vestis, & nos sartores sumus. Res quidem manet eadem, nec orationis elegantia fit melior, nec vilitate deterior: Neque rem vere amat is, quem ab ea cognoscenda retrahit inculta oratio. Quin etiam videmus Evangelij arcana nobis tradita esse verbis impolitis, & è media indoctorum plebe desumptis: ne quid inde hominum eloquentiæ tribueretur. Cæterum quoniam in hoc studio versantem, necesse erat, non solũ verba, sed etiam res ipsas (sine quibus verba sępe intelligi non possunt) perpendere: si quid interim animadverti obscuri⁹, non solum quod ad verba, sed etiam quod ad rem pertineret, id conatus sum paucis illustrare. At in verbis quidem declarandis, fui aliquanto confidentior. Verũ res vt parcius attingerem, in causa fuit partim præsens transferendi institutũ, quod circa verba versatur: Partim, & quidem multo magis, ignorantia mea. Cũ enim sint hi libri de rebus divinis scripti, necesse est nos, quanto magis homines sumus, tanto minorum horum intelligẽtiam habere. Et profecto si verum fateri volumus, est adhuc nostrum seculum in profundis ignorantiæ tenebris demersum: cuj⁹ rei certissimum testimoniũ sunt tam graves, tam pertinaces, tam perniciosę dissensiones: tam multi, & ijdem irriti convent⁹ de hisce controversijs, tantusque numer⁹ quotidie nascentium librorum, & eorum inter sese toto cælo dissidentiũ.

Si enim

Si enim unus Dei spiritus, & vna veritas est: necesse est, in quibus idem spiritus, eademque veritas insit, eos unũ esse, idemque sentire spiritualibus in reb⁹: & si nobis clarissimę veritatis orta dies esset, nunquam tot obscuras librorum accenderemus lucernas. Atque equidem mihi hujus ignorantię causam quęrenti, videbatur inventu difficilis. Neque enim tribui hęc literarũ & artium ignorationi potest, cũ nostro seculo nihil fieri possit eruditius: & tamen tantis studijs, tanta linguarũ cognitione, tot artib⁹ per tot ãnos, tantũ abest ut multũ profectũ sit, vt indies in deterius abeant res. Itaque cũ attẽtius hanc rem considerarem, visus sũ mihi hujus ignorantiæ vnam verissimamque causam invenisse, vitiositatẽ ac impietatem. Itaque di- „
cit Danieli angelus. *Impie agent impij, nec intel-* *Dani. 12*
ligent vlli impij. Et David contra: *Iova metuen-* *10.*
tibus patefit ejus arcanum. Et Esajas: *PREME*, „
oraculum, obsigna disciplinam, apud discipulos me- *Psal. 25.*
os. Quod si *Iova* arcana in his libris occultata *14.*
nosse volumus, metuendus nobis, & colendus „
Iova est, eique obediendum, vt decet ejus dis- *Esai. 8.*
cipulos. Hæc vera ad divinarum rerum cogniti- *16.*
onẽ via, hęc vna ad hoc divinorum arcanorũ sigillum aperiendum clavis est: quam qui habebit, nullam aliam requiret: qui non habebit, frustra cæteras admovebit huic serę. Quod si esset in nobis verus Dei amor atque metus, & si tantum studij & operæ in eo ponerem⁹, quantum alij in comparanda pecunia, alij in literis, alij in disciplinis, alij in honore, alij in alia re ponunt, non solum abesset crassa hæc (liceat mihi dicere quę sentio) crassa hæc, inquam, quæ tenet seculum, ignorantia: Verum etiam tantæ

 esset

esset *Iova* cognitionis, hoc est, verę pietatis plena terra, quanta nobis, si sapimus, promissa est. Atque ita nasceretur illud verè aureum seculum, quo essent omnes divinitus docti: Fieretque quod armipotens jova pollicitus est his verbis: CVDENT ex ensibus suis vomeres,

Mich.43 & ex spiculis falces: nec gentes aliæ alijs arma inferent, nec amplius bella discent, degentque sub suis quisque vitibus ac ficubus, exterrente nullo, quoniam Iovę armipotentis os loquitur. Et illud: Versabitur cum agno lupus, accuba-

Esa.11.6 bitque pardus hœdo, copulatosque vitulum & leonē & taurum ducet puer parvul⁹, & vacca vrsusque compascentur, concubantibus eorum pullis: & leo more boum palea vescetur, & ludet super aspidis foramen lactens infans, superque viperæ cavernam deliculus puer manum agitabit. Nusquam male aut nequiter fiet in meo sacro monte: Quoniam tantæ erit Iovæ cognitionis plena terra, quantis operitur aquis mare. Item illud ad Hierosolijmam, hoc est, ad

Esa.60.1 Christianorum Rempub: dictum: A D T E sese recipient humiliter homines, qui te afflixerint, & tuorū pedum vestigia venerabuntur omnes tui conviciatores: teque Iovę vrbem, Sionem Augusti Israelitarum appellabūt. Pro eo quod deserta, invisa & inaccessa fueris, efficiam ex te sublimitatem ęternam, voluptatem perennem; adeo vt cęterarum gentium lac, regumque sugas vbera, sciesque me Iovam esse servatorem, vindicemque tuum, Iacobeorum numen. Pro ære inducam aurum, pro ferro inducam argentū, pro lignis æs: efficiamque vt pro tui administratione sit pax, & pro Magistratibus justitia.

Non jam crudelitas in tua terra, non vastitas aut calamitas in tuis finibus audietur: Tuosque muros salutem, & portas laudem appellabis. Non amplius tibi Sol interdiu lumen præbebit, neque Luna splendor illucebit: Sed erit " tibi Iova lux æterna, Deusque tuus decóri. Non " occumbet amplius tuus Sol tuave luna occidet: " Nam Iova tibi lux erit æterna, finita tui luctus " die. Tuus autem populus, justi omnes, semper " terram possidebunt, à me sata stirps, manuum " mearum opus, quod mihi sit honestamento. Mi- " nimus in ille, minutissimus in populosam gentē " excrescet: Id quod ego Iova suo tempore *ac-* " *celerabo.* Item illud: ACCERSAM vos ex gentibus, & ex omnibus collectos terris, adducam in vestram patriam: Puraque conspersos " Lijmpha, ut ab omnibus vestris fœditatibus " purgemini, ab omnib⁹ vestris vos expiabo ster- " coreis divis: Vobisque & cor novum, & spiri- " tum novum in pectora dabo: Et exempto de " corporibus vestris Lapideo corde, vobis carne- " um cor dabo: & dato in corpora vestra meo " spiritu, faciā vt institutis meis pareatis, measque " sententias conservetis: Quo faciendo, manebi- " tis in terra, quam ego dedi majoribus vestris: " & vos mihi popul⁹, & ego vobis Deus ero, vosque ab omnib⁹ vestris impuritatib⁹ vindicabo.

Ezec. 36 24.

Hæc est in his multisque alijs locis, & maxime in Apocalijpsi, promissa Christianis fœlicitas, o Rex, & perfecta Dei cognitio, ac obedientia: Quam equidem quo magis coluendis sacris libris considero, eo minus hactenus præstitam video, utcunque illa oracula intelligas.

Apoc. 21

Sed existunt ignavę diffidentiū voces, qui pro

insano habent, si quis audeat sperare & confidere meliora nostris: Quasi vero Dei sit, vel decurtata manus, vel auris obtusa: Aut, quasi
Esa. 52. 1. ideo desperandum sit, quia nunquam ita fuit: Ac non potius ideo sperandũ sit, quia non fuit: & is promisit, qui neque mentitur unquam, & potest etiam mortuis vitam reddere. Equidem aut hæc futura esse fatendum est, aut jam fuisse, aut Deus accusandus mendacij. Quod si quis fuisse dicet, quæram ex eo, quando fuerint. Si dicet, Apostolorum tempore: Quęram, cur non vndiquaque perfecta fuerit, & tam cito exoleverit Dei cognitio, ac pietas, quæ & æterna, & marinis vndis abundantior fuerat promissa. Sin dicet, Nostro tempore: Mirabimur hanc pacem, quæ ex vomeribus falcibusque nostris cudat enses, & supellectilem domosque convertat in bombardas, & propugnacula. Sed est, credo, hæc pax in literarum proceribus, & populi Magistris. Vnde igitur linguarum & calamorũ longe nocentiora bella, quam ferri? Vnde tot tam graves controversię, quę neque tot jam seculis, tot disputationibus componi potuerunt, & fere in sanguinem imbecilliorũ erumpunt? Dum nemo est, qui de suo judicio dubitet: Nemo est, qui non alios damnet. Invidemus, maledicimus: Non solum malum malo, sed sæpe bonum malo pensamus: Et si quis a nobis in aliquo religionis vel puncto dissidet, eum damnamus, & per omnes terrarum angulos linguæ styli que jaculo petimus, & ferro & flamma & vndis sævimus, & ex rerũ natura indefensos & inopes tollimus: & nobis non licere quenquam interficere, dicimus: & tamen Pilato tradimus, si hunc dimittat, amicum esse Cęsaris negamus:
&

&quod est omnium indignissimum, hęc omnia CHRISTI nos studio, & jussu, & nomine facere clamamus, & lupi feritatem agnina pelle tegimus. O Seculum. Scilicet CHRISTI studio Sanguinarij erim⁹, qui, ne aliorum sanguis effundendus esset, ipse suum effudit. CHRISTI studio zizania extirpabimus, qui ne frumentum extirparetur, jussit vsque ad messem relinqui zizania. CHRISTI studio alios persequemur, qui jussit, ut si nobis feriatur mala dextera, obvertamus sinistram. CHRISTI studio inferem⁹ alijs malum, qui nobis, ut pro malo bonum redderemus, pręcepit. Vbi erit ergo illa nobis tantopere commendata charitas, sine qua, licet & hominum teneas & angelorum linguas, & omnia scias, & fidę vel montes transmoveas, & omnia tua largiaris, atque adeo tuum ipsum corpus comburendum tradas, nihil es? Quod si quis de charitate sese jactat, consideret, num fruct⁹ charitatis habeat, & ea præstet, quæ charitatis esse tradit Paulus. Charitas benigna est, inquit: Charitas temeraria non est, non tumet, non se gerit turpiter, non sibi ipsi studet, non est irritabilis, non male cogitat, non gaudet injustitia, sed veritate lætatur: Omnia tolerat, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet: Charitas nunquam intercidit. Nunc quidem manet fides, spes, charitas: sed harum trium maxima est charitas, atque in ea sita est legis perfunctio. Denique charitas multitudinem tegit peccatorum, eisque medetur. Quod si hodie ea ita refrixit, ut in ejus loco regnet odium & tamen promisit Deus pium illud justumque seculum, quod supra commemoravi: fatendum omnino est, multa in oraculis promissa, nondum esse per-

1. Cor 13.

Rom. 13. 4.

perfecta. Cujus rei ignoratio in causa est, vt Dei dona admodum jejuna, exilia, & macra faciamus: & vatum oracula pleraque inepte, ne dicam ridicule, interpretemur: dum quæ futura sunt, & non nisi ab ijs qui vel divinitus, vel rei eventu sint edocti, possunt intelligi, ea & sine spiritu declarare conamur, metuentes videlicet, ne quid ignorare videamur. Cum hæc ita sint, ô Rex, & cum ætas nostra in tanta adhuc ignorantiæ caligine cœcutiat, etiam atque etiam nobis cavendum esse sentio, ne quid imprudenter committamus. Quod si quæ sunt

Mach. 4. 44. 46. in religionis negotio controversiæ) sunt autẽ plurimæ) in his sequendum Iudæ Machabæi & suorum factum judico, qui de ara solidi sacrificij, cum quid statuerent, non haberent, ejus lapides in monte templi, loco opportuno, posuerunt, donec adveniret vates aliquis, qui de ijs oraculum referret. Aut potius Mosis, cui diser-

Numer 5. 33. tis verbis modo præceptum erat, vt si quis contra legem data opera commisisset, is capiti pœnas daret: & tamen eum qui in die Sabbati lignatus erat, interficere noluit, nisi relato super ea re nominatim oraculo. Et erat Moses fidus Dei minister, & ejus spiritu non parcé præditus. Vt interim nihil dicam de consilio Gamalielis,

Act. 5. qui ostendit, si ea res ab hominibus esset, dissolutum iri: sin a Deo est, non posse dissolvi; ne forte contra Deum pugnetur. Quod si has res nobis esse certiores putamus, quam illa Mosi fuit (quando ea sunt tempora, vt nemo se errare putet) at certe non debemus ijdem, & accusatores esse, & judices, potiusque parendum est Paulo, ita præcipienti: *Si quis imbecilla fide est, huic*

bus nulla cum animi dubitatione opitulamini. Tu "
quis es, qui alienum famulum damnas? Suo Domi- "
no stat, aut cadit. Consistet autem: potest e- Rom. 14.
nim Deus eum stabilire. Tu vero cur tuum fra- "
trem damnas aut tu, cur tuum fratrem despicis? "
Nostrũ quisque causam pro se dicet apud De- "
um. Quamobrem ne jam damnemus alius ali- "
um. Nam si damnabimus, damnabimur, & ea- "
dem mensura nobis rependetur. Præstiterit (meo quidem judicio) Romanorum legem de vindicijs sequi, quę erat hujusmodi. Si quis, qui se hactenus pro libero gessisset, vocabatur in jus ab aliquo, qui eum servum esse assereret interea dum causa pendebat, vindiciæ dabantur secundũ libertatem: Hoc est, is cujus libertati periculum creabatur, manebat in eadem conditione qua liberi, donec in judicio planum factum, ac pronunciatum esset, vtrum is servus an liber foret. Et merito, Cum enim de ejus conditione dubitaretur, si forte liberum esse contigisset, & interea pendente lite serviliter habitus fuisset, facta foret homini libero gravis injuria. At quanto id in capitis causa fieri æquius est? Presertim in religione, in qua peccatur gravissime.

Expectemus justi judicis sententiam & operam demus, non vt ipsi alios damnemus, sed vt nihil committamus, quamobrem nobis metuenda sit damnatio. Obediamus justo judici, & zizania vsque ad messem sinamus, ne forte frumentum (dum supra magistrum sapere volumus) extirpemus. Neque enim adhuc vltimus mundi finis est: Neque nos angeli sumus, quibus hæc sit mandata provincia. Adde, quod absur-

absurdum est, spirituale bellum, terrestribus armis geri. Christianorum hostes sũt vitia, contra quæ virtutibus certandum est, & contrarijs remedijs contraria mala curanda: vt doctrina ignorantiam pellat, injuriam vincat patientia, superbiæ modestia resistat, pigritię opponatur diligentia, contra crudelitatem pugnet clemẽtia, simulationem prosternat sincera, & se Deo probans religiosa mens, animusque purus, & qui vni Deo placere studeat. Hæc sunt vera Christianæ religionis, & verè victricia arma: non vt carnifici mandetur provincia doctoris, & exteriora poculi prius, quam interiora purgentur. Atque hæc de religione duntaxat a me dici volo. Nam quod ad facinora attinet, homicidia, adulteria, furta, falsa testimonia, & hujusmodi reliqua, quę Deus & puniri jussit, & quo pacto punienda forent, præcepit, ea in controversiam non vocantur. Neque de ijs obscure præcepit Deus, & ad bonorum defensionem pertinent: nisi velimus in nostris cubilibus jugulari, ut quidem nunc sunt tempora. Neque vero periculum est, ne si Magistratus, a Deo, ad bonos defendendos constitutus, aliquem homicidij convictum tollat in crucem, virum bonum interficiat: neque quisquam defendit vnquam homicidium, ne homicida quidem. Sed religionis & intelligentię sacrarum literarum longe est alia ratio. Cum sint enim hęc obscure, & sępe per ænigmata tradita, & de his jam per mille amplius annos disputetur, nec dum componi res potuerit, neque componi absente omnium controversiarum diremptrice, & ignorantię fugatrice Charitate possit: &

ea de

ea de causa innocente sanguine repleta terra sit: debemus profecto (quamvis nobis omnia scire videamur) debemus, inquam, metuere, ne inter latrones (quos merito crucifigimus) etiam CHRISTVM immerito crucifigamus. Et si non modo Turcas, & Iudæos (quorum illi CHRISTVM parum amant, hi etiam capitaliter oderunt) vivere patimur apud nos, verum etiam maledicos, superbos, invidos, avaros, impudicos, ebriosos, & cętera hominum flagitia ferimus, & cum ijs vivimus, epulamur, lętamur, debemus saltem communem hunc ærem & spiritum ijs concedere, qui idem CHRISTI nomen nobiscum profitentur, & nemini nocent: Eoque sunt animo, vt mori malint, quam aliud dicere, aut facere, quam quod dici, aut fieri debere arbitrantur. Vt interim non dicam, quod nullum hominum genus minus metuendum sit. Qui enim vitam mavult amittere, quam dicere quod non sentit (peccaret enim, si faceret: & qui cogit, peccare cogit) non est, credo, metuendum, ne is pecunia possit, aut alia re corrumpi.

Atque equidem illud mihi persuasi, nullos esse principibus, & magistratibus obedientiores, quam eos qui simpliciter Deum metuunt, & in eo quod sciunt, fideles sese præstant. Cæterorum quidem obedientia ficta est, neque durat diutius, quam vel metu cogitur, vel vtilitate allicitur. Sed qui conscientia ad obediendum impellitur, quique docente Deo didicit magistratibus & potestatibꝰ obediendum esse, etiam iniquis, nedum justis: hujus veram & æternam esse obedientiam necesse est, quoniam Deus

(qui

(qui ei obedientiæ causa est) verus manet & æternus. Illud quidem (ut ad propositū redeam⁹) citra controversiam verum est: Ad pœoitendū properat, cito qui judicat: Et multos judicasse pœnituit, judicium suspendisse non pœnituit. Et qui ad clementiam propensior est, quam ad iram, is Dei naturam imitatur: Qui cum sciat nos esse sontes, tamē differt sententiam, diu, & expectat, dum fiat vitæ corectio. Qui enim continuo necat, nullum relinquit pœnitentiæ locum. Quod si quis his contradicere audebit, necesse erit vt fateatur, sanguinem a se oppugnari, à nobis defendi. Vtrius autem facilior futura sit causę dictio apud judicem Deum, si quis ignorat: audiat Solomonem ita dicentem: *Impiorum verba insidiantur sanguini: At proborum os*
Prov.16 *eum defendit*. Illud perfectum habeo, clementię patientię, benignatatis, obedientiæ non posse pœnitere quenquam, crudelitatis, & temerarij judicij non posse non pœnitere. Quod si illa tutissima via est, hęc periculorum plena: Insanum esse oportet, qui se sciens volensque in pericula præcipitet. Neque vero hæc ideò tibi dico, Rex illustrissime, quod aliquid sinistrum de te acceperimus. Cum sis enim ejus adhuc ætatis, quæ sub tutorum cura custodiatur, tuum ingenium (nobis pręsertim, tanto terrarū intervallo disjūnctis) cognitum esse non satis potest. Dicunt quidem, qui isthinc veniunt, eam esse tuam indolem achumanitatem, vt omnia de te sperent optima, quorū nos spei adeo accedimus, vt speremus & optemus etiam optimis (si fieri possit) meliora. Cum igitur videamus, nostra corpora vobis Regibus esse in manum a Deo tradita, ve-
stros

ſtros autem animos eſſe in manu Dei : Movemur exemplis, & periculo pro virili parte obviam ire conamur, malumque nunquam nimis maturè declinari poſſe judicamus. Itaque Deum oramus, vobis ut eam mentem inijciat, ut vos de veſtris animis (qui in Dei manu ſunt) tanto magis ſitis ſolliciti, quam ij ſunt de ſuis corporibꝰ, qui vident ſuam vitam vobis in manu eſſe poſitam: Quanto animi interitus gravior eſt quam corporis cupimus, inquam, vos eſſe tales, quales eſſe jubet Deus his verbis: *Cum acciderit regem* in regni ſui ſolio ſedere, hanc ſibi legem a ſacerdotibꝰ Levitis in libro exſcribito, eamque apud ſe habeto, & legito per omnem vitam ſuam, vt diſcat Iovam Deum ſuum vereri, curetque ut omnibus verbis huis legis, atque his inſtitutis pareat, ne contra ſuos ſanguineos animo inſoleſcat, neve de diſciplina ad dextram aut ſiniſtram deflectat, vt diu vivat in regno ſuo tum ipſe, *tum eius nati, inter Iſraelitas.* Item Solomo de bone rege loquens, his verbis: *ORACVLVM habet in labijs Rex, cuius os crimen in jure non committit. Impie agere, regibus eſt invisum: Nam Iuſtitia ſolium aptum eſt. Placent regibus juſta labra, & probe loquentes amant. Regia bilis, eſt mortis nuncius & eam vir ſapiens diluit. In ſerenitate vultus Regis, vita eſt, eiuſque favor eſt quadam quaſi ſerotina nubes.* Habere ſapientiã, eſt longe prẹſtantius quam aurũ. Eſt autem ſapientiæ caput, Dei metus: qui nobis debet ob oculos dies noctesque verſari, & ad mala frenum, & ad bona calcar eſſe.

Deut. 17 18.

Prov. 16 10.

Hæc habui præſentia, Rex, de quibus te monerem, non equidem vt vates, non vt miſſus divi-

P tus

nitus: Sed vt vnus de multis, quæ dissidia & lites oderim, & religionem charitate magis, & animi pietate, quam quæstionibus & rebus externis exerceri cupiam. Neque vero me prętereit, nihil a me dici, quod non ab alijs ante me dictum sit. Sed recta quę sunt, ea & a multis, & tam diu dici, donec eis pareatur, non est inutile. Accipe igitur, Rex, nostrum hunc laborem comiter & humané: Et si vacat (debet autem vacare) & si placet (debet autem placere) lege sacras literas animo pio ac religioso: & te ad regendum regnum sic præpara, tanquam homo mortalis & Rationem redditurus immortali Deo. Opto tibi Mosis clementiam, Davidis pietatem, & Salomonis sapientiam. Vale. Basileæ, Mense Februario: Anno millesimo quingentesimo quinquagesimo primo.



Am-

Amplissimo Consuli, & senatui Basiliensi, Dominis suis, clementissimis, & colendis; Sebasbastianus Castellio Salutem in Domino.

Est mihi mei clementissimi Domini, a Magnifico Domino Rectore, & cæteris Ecclesiæ Doctoribus, & Pastorib⁹ demonstratum; quemadmodum vobis scriptæ fuerint litteræ, in quibus ego gravissime accusarer; cuj⁹ accusationis partes sunt duæ; Vna ex libro Theodori Besæ sumpta, altera super mea dialogorum Barnardini Ochini translatione. Ac mihi postulanti, recitata est pars illa literarum, in qua ego accusabar, & super ea quid responderem sum interrogatus. Respondi petere me, vt si fieri posset, mihi daretur ejus partis exemplum, vt scripto accusatus, scriptore sponderem. Quod cum sibi, nisi vestro permisso licere negasset, & alioquin putarent posse me ad ipsas criminationes, quæ illis literis allegarentur respondere, sic facere statui, vt notatis ex illis literis numeris paginarum, in quib⁹ in libro Besæ accusor, vobis adversus illas accusatoris criminationes, quantum eas recordare & comprehendere possum, hic paucis respondere, Paratus & cæteras ejusdem criminationes etiam publico scripto, sicut publico scripto ab eo accusatus, diluere. Quæso vos Domini mei clementissimi, vt me dicentem causam, eo animo audire dignemini, quo animo se quisque vestrũ in simili causa vellet audiri.

Primum crimen est quod sim libertinus, a quo crimine me tam procul abesse, quam cœlum a terra distat constantissime adfirmo, & innocentiæ meę omnia scripta, dicta recte intellecta, & facta mea allego: Itaque ante omnia crimen hoc accusator meus vt probet peto, aut si non probet, calumniatorem eum esse necesse est. Atque insuper se insontem accusasse non est ei religio: Ipsummet libertinorum hęresi affinē esse affirmo.

Secundum crimen est, quod sum Pelagianus, & quod gratiam Dei, peccatumque originis negaverim. Ad quod crimen ego idem, quod ad primum respondeo, & vt hoc quoque probet accusator postulo. Nam quod ad Besæ scriptum attinet, in quo hoc ex ijs quę in cap. 7. ad Rom: scripsi probare conatur, dico eum sinistre interpretari scripta mea, & ex ijs ea velle elicere, quę mihi nunquam venerūt in mentem, & hoc publico scripto probare sum paratus.

Tertium crimen est, quod ego sum omnium facinorosorum, hereticorum, adulterorum, furum, homicidarum patronus, & quod eos tutos ab accusatoribus & judicibus præstare velim: & quod nolim Magistratum ullo modo se negotijs religionis immiscere, & de hoc crimine, idem quod de superioribus respondeo falsissimum esse, & vt id probet accusator postulo. Ego vero me contrarium etiam ex scriptis meis ostensurum esse spondeo. Quinimo si sit opus testibus fide dignis, planum faciam quosdam, qui de Magistratu sinistre sentiebant, sic fuisse ab eo errore opera mea avocatos, vt mihi

confessi sint, me apud eos sola mansuetudine plus effecisse, quam vlli vnquam adacti gladijs potuissent. Nam de Magistratu omnino idem & semper sensi, & sentio, quod in Sacris literis. Et in Basiliensi confessione habetur: Videlicet. **Es hatt Gott der waerheyt seiner dienerren das schwert / und hoerstein usserlichen gewalt/zu schirm der gutteren im/raach und straff der bosem bescholden.** Atque illud addo eum durare oportere etiam tempore novi testamenti, quandiu erunt facinorosi homines, qui sunt puniendi: & qui ei potestati resistit, ordinationi divinæ resistit.

Quartum crimen est quod Castalio sit papista, et blasphem⁹ in gratiam Dei. Et ad hoc crimen idem respondeo, quod ad Superiora: Falsum esse, neque illud vllum vnquam mortalium esse probaturum. Nam tantum abest vt sim papista, vt a magnis viris non semel, magna mercede proposita, & jam pridem, & non ita pridem, vt ad ipsos migrarem solicitatus recusarim. Quod vero in Dei gratiam blasphemũ me esse dicit, hoc quoque non minus quam illud falsũ est. Nam nos gratuito Dei beneficio, per fidem in Christum justificari, & servari: semper & credidi, & docui, & hoc etiam scripta mea palam testantur.

Quintum crimen est, quod Castalio sit Academic⁹, & quod habeat spiritum Anabaptisticum. Academici erant Philosophi quidam, qui nihil sciri posse dicebant, nihilque affirmabant. Ab

hoc crimine ipſemet Beſa, me in hoc ipſo libro
maxime vindicat: Ideo enim in me toto libro
invehitur, quia multa affirmem, quę ipſe a me
adfirmari indignatur. Quod vero de ſpiritu A-
nabaptiſtico ſcribit, qualem ſpiritum habeant,
aut quid de Dei verbo ſentiant, aut ſcribant A-
nabaptiſtæ, ipſi viderint. Ego & ſcripſi, & nunc
ſcribo, & ſentio, controverſias, quæ ſunt inter
Theologos de Religione, non poſſe ex ſcriptu-
ra, niſi ſimul adſit tum Chriſti Spiritꝰ, qui men-
tes aperiat, tum Charitas componi. Atque il-
lud addo niſi operam dederimus, vt charita-
tem habeamus, futurum eſſe vt quanto plus li-
terę habeamus, tanto minus Spiritus habeamꝰ,
tantoque magis indies inter nos diſſideamus,
& inde deterius abeamus, neque non inſuper
1. Cor. 13. aliud Pauli adijcio: Si & hominum loquar &
Angelorum linguis, neque charitatem habeã,
ſum æs tinniens aut cijmbalum reſonans. Et ſi
tantum divinationis habeam, vt omnia arcana,
ſcientiamque omnem teneam, & ſi adeo omni
ſim fide præditus, vt vel montes tranſmoveam,
& tamen charitate non ſim præditus, nihil ſum.
Et ſi omnes meas facultates, in liberalitatem
erogem, & ſi vel meum corpus comburendum
tradam, & tamen charitate non ſim præditus,
nihil proficio. Hæc ſunt quæ de Chriſto, ſpiritu,
& charitate, &, ſcripſi, & ſcribo, & ſentio: ac
tantum abeſt vt hoc crimen reformidem, vt
hæc vera eſſe dicam, pronunciem, clamem, &
eventꝰ ipſe vera eſſe, & hactenus docuit, & de-
inceps docebit: Nam ſine Chriſti ſpiritu, &
charitate, ſi quis has controverſias componere
ſperat, eum perinde facere dico, ac ſi velit are-
natum

natum, ex sola arena, atque calce, sine aqua facere. Illud addo accusatorem meum hic sibi tripliciter contradicere, nam si sum libertinus, non possum esse vel Papista, vel Anabaptista, aut si Anabaptista, nec Papista, nec libertinus esse possum: quippe cum tres sectę a se invicem, addo etiam ab Academicorum secta, sicut ignis ab aqua discrepent, id quod facile probarem, nisi id vestræ prudentiæ cognitum esse mihi persuaderem.

Sunt & alia mei clementissimi Domini crimina, quæ Besa, & Calvinus mihi imponunt, quorum vnum aut alterum (de quibus vos facillime, etiam sine mea defensione judicare potestis) obiter dicam. Vnum est quod Biblia transtulerim impulsu, instinctuque diaboli. Cogitate quam verisimiliter hoc scripserint. Alterum est, quod vicini mei ligna herpagone rapuerim. Hinc cognoscite mei clementissimi Domini, quales sint accusatores mei. Si enim eorum accusationi credetis, oportebit non solum me, verum etiam vicinos tunc meos, & piscatores multos, aliosque cives Basilienses, fortasse plus quam trecentos, mecum dare furti pænas, quippe qui eadem ligna mecum palam rapuerint.

Hoc isti cum furtum palam toto orbe publicatis libris interpretati sunt, cogitate quales sunt & in cęteris, præsertim si quem oderint

oderint,nam mea ſcripta nihilo candidius profecto ſunt interpretati,quam harpagonem. Hęc & huiuſmodi multa (quæ de me ſcripſerunt) ſi vult probare meus accuſator, prodeat coram veſtro Senatu, & coram eodem etiam Germanicis verbis,(utcunque Germanice vix etiam balbutiam)paratus ſum cauſum dicere. Sin malam habet conſcientiam, meque putat non ſibi privatim, ſed illis qui me publicatis libris accuſarunt,publicatis libris reſpondere,& Beſam cum hac tranſiret:interpellare debuiſſe,ſcitote mei Clem: de hac re Domini, quo minus id hacten⁹ fecerim,per me non ſtetiſſe. Nam & tū D. Cocceum, & porro cum eo. D. Rectorem. Simonem Sulcerum conveni,& Beſam vna cum illis,niſi ad bellū properans diſceſſiſſet conventurus fui,& nunc paratus ſum ad omnia, quæ mihi,illi in ſuis ſcriptis impoſuerunt crimina, publico ſcripto reſpondere: Atque adeo a vobis mei Clementiſſimi Domini: Vt hoc mihi permittatur,poſtquā ſic accuſor, obnixe peto. Aut ſi hoc non impetro illud ſaltem peto, ut ſi forte reſpondere non permittatur,tacere non ſit fraudi. Quod ſi ſint ſibi bene conſcij, compareat ipſe Beſa & Calvin⁹,& omnia quæ contra me crimina literis mandarunt, coram vobis meis Iudicibus probent: Et ego (ut intelligatis quantum meæ cauſæ bonitati confidam) ſi illa probaverint,meum caput ad juſtum ſupplicium ultro offero. Non debebunt autem, niſi ſibi male conſcij ſint,Baſileenſe tribunal reforformidare, qui illa toto mundo publicare non reformidarunt. Spero vos mei Domini: Clementiſſimi, Dei in hoc negotio vicarios, in

hac

hac causa, sicut hactenus, & in cæterorũ, & in mea ipsius causa fecistis, adhibituros etiam eam prudentiam, afflante spiritu veritatis, vt nihil nisi re probe perspecta pronuncietis. Magna sunt & potentes adversarij, & accusatores mei, sed & potens est Deus (qui personarũ rationem non habens) de solio deijcit. Ego vero humilis sum homuncio: sed & humiles respicit Deus, & eorum sanguinem (si injuste funditur) vlciscitur. Labi facile est, & vulnus vno momento facile infligit vnus vir malus, quod deinde centum boni medici multis annis sanare non possunt. O Deus, qui & meum, & adversariorum meorum corda nosti, surge, & judica causam meam.

Quod ad accusationis partem secundam attinet, videlicet, quod Barnardini Occhini dialogos transtulerim, non puto id mihi frauda esse debere. Transtuli enim (sicut & alia ejusdem opera transtuleram) non vt judex, sed vt translator, & ex ejusmodi opera, ad alendam familiam & quæstum facere solitus: & typographus librum se dixit obtulisse, eumque secundum Basileensia instituta fuisse censura approbatum.

FINIS

Errata Benevolus Lector sic emendabit.

Litere. Folio	linea.	erratum Pro	correctum. Lege
A.I.	3.	Proptetera	Propterea.
	25	concilium	consilium.
A.I.vers.	20	maximeque	maximique
A.2.vers.	17	puem	quem
A.4.	7.a fin.	istanter-exagitat	instar exagitet.
A.5.vers.	I.	finctos	tinctos
	35	Ictus	Itus (i.c. jurisconsultus
A.8.	8	tractatus vicula	tractus vincula
A.8.vers.	11	libris	liberis
	18	ore	re
B.I.	I.	amor	amantior (sum
	12	tamque insultũ	tamquam insul-
	19	jaccensũ queque	accensũ quaque
B.I.vers.	6.	coforaplixsstos	autokatakritos
	8.a fin.	valeant	valeat
B.2.	7.	modestiam	immodestiam
	16	qum	quum
B.3.	14	causaque huiusque	causam huiusque
	penult.	vidio	video
B.4.verso.	5.	non	nos
B.5.	16	effutirè	effutire
.7.	9.a fin.	par	per
	4.a fin.	habet	habent
B.7.verso.	12	nihilve	nihiine
C.I.	I.	perditu	perditum
C.2.	16	declinantur	declinant
	9.a fin.	verri	Verri
C.2.verso.	9.a fin.	quo	equo
C.3.	13	quiæ	quia

23 riti,

Litera Folio	linea	erratum Pro	correctum Lege
	23.	ritis	ritus.
B.5.	ult.	sustinebat	sustinebant.
C.6 verso.	10.	fit.	sit.
	12.	guialis.	qualis.
	21.	magistris.	Magistratus.
C.7.	15.	veritates.	veritas.
D.1.	6.	efferveatur	efferveant.
D.1. verso.	7. a fin.	ovium.	omnium.
D.2.	16.	mabus	manibus
D.3.	18.	falicem.	Felicem
D.3. verso.	3 a fin.	conspectis.	conspectus.
D.5.	15.	mermes.	inermes.
	19.	palina	palma.
D.5. verso.	3.	libra.	libera.
	5.	ispe-videtis	ipse-videris.
D.7. verso.	8.	minus.	munus.
	25.	hebeat	habeat.
E.2. verso.	ult.	fierres.	sierres
E.3.	11.	protervant	proterviant.
E.3. vers.	pænult.	Christum.	Christus.
E.4. vers.	2.	ejecet.	ejecit.
E.5. vers.	15.	animis.	annuis.
E.6. vers.	4. a. fin.	hoc est ho est.	hoc est.
E.7.	18.	quo	duo.
E.7. vers.	25.	sumnum.	summum.
F.1. vers.	19.	Elijnam.	Elijma
F.2.	5.	glariatur.	gloriatur
F.2. vers.	2.	ecsia.	ecclesia
F.4.	3.	tamque.	tanquam
	13.	levis.	lenis
	10. a fin.	discipliam.	disciplinam
F.5. vers.	1.	pectatum.	peccatum

F.6 5 a fin

Litera Folio.	Linea	erratum	correctum
F.6.	5.a fin.	Dium.	Diem
4.7.vers.	7.a fin.	sentiam.	sententiam
G.3.	11.	doluisse	diluisse
G.3.vers.	4.a fin.	Elÿmachus	Symmachus
G.5.	6.a fin.	Vanitates}	Vanitatis
G.5.vers.	23.	homium	hominum
	25.	multa	inulta
G.7.	4.	huc	hac
G.7.vers.	9.	quum	quin
H.1.	13.	Ei	Et
H.2.vers.	12	societati	sociati
H.3.	1.	alios	alias
H.4.vers.	8.	quia	quia
	11.	constituti	constitutæ
	16.	quicque	quicquam
H.7.	11.a fin.	quæ	quod
H.8.vers.	2	verba	verbo
	6.	idio	ideo
I.1.vers.	3.a fin.	duini po.	divinipo.
	ibid.	jur aeconstituit	jure constituit.
I.4.verso.	12	iudicaverat	indicaverat.
	5.a fin.	lego	longe.
I.5.	23.	citatavimus	citavimus.
I.5.vers.	13	contra	contrà.
I.6.	2	atque etiam.	etiam.
I.6.vers.	5.a fin	r sincetatem	sinceritatem
I.7.vers.	1	cujusquam	cujusque
I.8.	7	id eo	ideo
	3 a fin.	beati	beatum
I.8.ver.	23	igitur	propterea
K.1.	6	De astrorum	Deastrorum
K.2.	3.a fin.	propigosis	prodigosis

K.8.

Litera Folio.	Linea	erratum	correctum
K2.ver.4		Suine	Sume
K3	8	habeat.neque	habeat,neque
K3.vers.	6.a fin.	Christquem.	Christus.
K.4.vers.	1.	Duum	Dominum.
	6.	vearittem	veritatem.
K.5.	7.	Geneva	Vienna.
	13.	fecerit.Et &c.	distingue hoc pacto: fecerit, & insuper, quod commemorat, vel scripserit vel scribendum curaverit: Si eius. Et &c.
	15	enis	eius. Et &c.
K.6.	9.	capites	capitis.
K.6.verso.	5.	indices	iudices.
K.8.	Penult.	fidi	fide
K.8.verso.	6.	hominem	hominum
	13	Sertus	Servetus
	19	tenentum	tenentem.
L.1.	10	cum eo	eum.
L.1.verso.	13	est,Paulus certe	distingue est Paulus,certe.
	10.a fin.	reprehendebat	reprehendat.
L.2.	20.	conjuctus	convictus.
	6.a fin.	sint.Sed	distingue sint,sed
	ult.	oportebat	oporteat
L.2.verso.	6.a fin.	inhumanis.	inhumanis
L.3.	12	tam	tamen
L.3.vers.	12.	& faciei	& ignem faciē
	13.	admoneri	admoveri
L.4.	5.	unitates	unitatis

ibid.

Litera Folio	linea	erratum Pro	correctum Lege
L.6.vers.	8.a fin.	accidit.	accedit
L.8	9.	aepurgandi	repurgandi
	ibid.	Si idem	fidem
	19	imposita est	adde Corona
	6 a fin.	ipsa	ipse
M.4.	1.	nunquam ob literare vi-deretur	unquam obli-terari posse vi-detur
M.4.verso.	6	si idem	siquidem
	7	necessaria	necessario
	21	ne Ser-	non, ne Ser
M.5.	14	Præcum	precum
M.5.verso.	2	nonnulli per Gervasianis	per Gervasianos
	5	in utire	mutire
	8	nullum	ullum
M.6.verso.	5.	mantisæ	mantissæ
M.7.	ult.	(.)	(?)
N.3.verso.	16.	Apostatos	Apostatas
N.3.	3	melit	melitus
	4	Adikai	Adikei
	5	nomisei The	nomizei Theous,
	ibid.	ous hou demo nia kena eis egou mevos	ou daimomake na eisegoumenos
	3 a fin.	illis	illic
N.7.verso	8	ad	ac
	8 a fin.	impræstarent	præstarent
N.8	5 a fin.	tanque	tanquam
N.8.verso.	7 a fin.	spiritum	spiritu.
O.5	4 a fin.	colvendis	evolvendis

FINIS

